DE

FAVORINI ARELATENSIS

STUDIIS ET SCRIPTIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

TH. COLARDEAU
Scholae Normalis olim alumnus
Graecarum litterarum disciplinae praepositus
in Universitate Gratianopolitana

GRATIANOPOLI
TYPIS EXCUDEBANT ALLIER FRATRES
—
M CM III

DE

FAVORINI ARELATENSIS

STUDIIS ET SCRIPTIS

DE

FAVORINI ARELATENSIS

STUDIIS ET SCRIPTIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

PROPONEBAT

TH. COLARDEAU

Scholae Normalis olim alumnus

GRATIANOPOLI

TYPIS EXCUDEBANT ALLIER FRATRES

—

1903

OPTIMO · MAGISTRO

P. · E. · GASPARD

HOC · GRATI · ANIMI · PIGNVS

D. · D. · D.

TH. C.

PRAEFATIO

De Favorini Arelatensis vita, studiis, scriptis hos maxime apud veteres habemus auctores :

primum A. GELLIUM[1], qui, cum adulescens Favorini disciplinam sectatus esset, ea quae disserentem cum amicis et discipulis declamantemve magistrum ipse audiverat, plurimis *Noctium Atticarum* locis rettulit ;

deinde PHILOSTRATUM[2], qui in *Vitis Sophistarum* nonnulla de ejus vita, amicis, discipulis, aequalibus, scriptis, dicendi ratione narravit.

Praeterea a PLUTARCHO (nam is quoque Favorino videtur familiariter esse usus ; cf. infra, p. 6) et LUCIANO (cf. infra, p. 7) pauca tradita habemus de ejus studiis et fama et forma corporis, necnon et a

[1] A. Gellii *Noctium Atticarum libri XX,* ex recensione Martini Herz, ed. minor II[a], Lipsiae, Bibl. Teubner, 1886. Vide Indicem rerum, s. v. Favorinus.

[2] Flavii Philostrati quae supersunt edidit C.-L. Kayser, Turici, 1844. (Vitarum peculiaris editio jam anno 1838 ab eodem curata fuerat.) — Philostratorum.... opera recognovit Antonius Westermann, Parisiis, Bibl. Didot, 1846.

Galeno[1] (cf. infra, cap. iv) haud multo plura de eis scriptis ejus quae ad philosophiam pertinebant.

Quibus si paucissima a Cassio Dione, Spartiano, Suida relata adjecerimus, fere omnes eos qui apud veteres de homine sunt auctores erimus persecuti.

Ipsius autem Favorini scriptis plurimum detrimenti temporis iniquitate allatum est. Nihil enim inde exstat — siquidem ea tantum respiciuntur quae diserte ei a veteribus auctoribus adscripta sunt — nisi exigua frusta, quae passim in collectaneis sparsa jacent. Nam, praeter tres quattuorve *Noctium Atticarum* locos, qui non sermones, sed excerpta ex scriptis ejus habent (de quibus vide Hertzianae editionis Indicem auctorum), in Ioannis Stobaei[2] *Florilegio* viginti ferme fragmenta, brevissima pleraque, reperias, bis tantum, et ea quidem haud sane ampliora, in Laertii Diogenis[3] compilatione. Ad hoc quindecim fere particulae, a Stephano Byzantio, vel potius ab eo qui Stephani *Ethnica* in compendium redegit, servatae sunt, et a Phrynicho atticista, in *Ecloga verborum et nominum atticorum,* totidem fere verba, quae parum attice usurpasse arguitur Favorinus.

[1] Claudii Galeni Pergameni scripta minora recensuerunt Ioannes Marquardt, Iwanus Mueller, Georgius Helmreich, Lipsiae, Bibl. Teubner, 1884-1893.

[2] Ioannis Stobaei *Florilegium.* Recognovit Augustus Meineke, Lipsiae, Bibl. Teubner. — Stobaei *Anthologium.* Recensuerunt C. Wachsmuth et O. Hense, Berolini, 1884-1894.

[3] Diogenis Laertii *De clarorum philosophorum vitis, dogmatibus, apophthegmatibus libri decem.* Recensuit C.-G. Cobet, Parisiis, Bibl. Didot, 1850.

Quae omnia, tum auctorum testimonia, tum ipsius Favorini operum fragmenta, primus commode et utiliter tractavit J.-L. Marresius [1] in dissertatione jam ante hos quinquaginta annos edita. Nam antea quidem et parum diligenter nimiaque brevitate contracta fuerant aliquot auctorum testimonia in compilationis inscriptae *Histoire littéraire de la France* volumine primo, p. 265-276, et C. Muellerus in *Fragmentorum Historicorum* volumine tertio, p. 577-585, eas tantum collegerat Favorini reliquias quae ad historiam pertinebant. Marresius autem, postquam de vita et studiis Favorini breviter disseruit, cunctorum scriptorum ejus titulos recensere et, quantum quidem fieri poterat, quid ipsa scripta olim complexa essent conjicere conatus est, tum reliquias Favorini ordine digestas diligenter et sagaciter elaboravit atque explanavit. Ea potissimum quasi appendice commendatur etiam nunc illa dissertatio, quae, quanquam satis male a doctis quibusdam viris postea audivit [2], haudquaquam spernenda est.

Non tamen fore ut omnino videamur rem actam agere confidimus, si iterum de Favorini studiis et scriptis disputabimus, sive altius perspectis quae

[1] J.-L. Marres, *Dissertatio literaria inauguralis de Favorini Arelatensis vita, studiis, scriptis*, Trajecti ad Rhenum, 1853.

[2] F. Nietzsche, *Rhein. Mus.*, XXIII, p. 646: « Marresius, in dissertatione ceterum vix laudabili. » E. Maass, *Philol. Unters.*, Heft III, p. 4: « Congessit quibus nomen erat praepositum, de suo scitu vix digna aut aperte falsa addidit....: eum igitur nescio an semel bisve sim nominaturus. » Id., *ibid.*, p. 133: « Marresius..... in dissertatione non uno hoc nomine vituperanda. »

Marresius leviter praestrinxerat, sive in rem nostram adsumptis si quae, ab illis doctis viris postea, dum aliud agunt, reperta, ad Favorini scripta diligentius noscenda nonnihil conferre possunt. Nam primum, separatim descriptis vita hominis et studiis, non quaesivit Marresius num vitae ejus tenor et varia studia cognatione quadam conjuncta essent : cum vero Philostrati et Gellii testimonia inter sese non quidem pugnent, certe non plane congruant, sed quadamtenus discrepent, ita ut ad duos diversae indolis homines pertinere videantur, forsitan quaerere futurum sit operae pretium num Favorinus unus semper et idem fuerit et sibi perpetuo constiterit : inde etiam nescio an grammatica studia, quanquam prima in fronte a Marresio posita, aptius atque in meliore lumine collocari possint, tanquam ex aliis et excelsioribus studiis dependentia. Item de eis Favorini studiis quae ad philosophiam atque ad Academiae disciplinam spectant sane uberius quam a Marresio factum est disseri posse arbitrati sumus.

Deinde ex ipsius Favorini operibus nihil aliud quam exigua exstare frusta ille existimabat. Quanquam enim Corinthiacae orationis, vulgo Dionis nomine inscriptae, Favorino adscribendae Emperius auctor fuerat, tamen ita modeste et dubitanter quamvis probabiles causas proposuerat ut Marresius, re leviter praestricta, infirmis argumentis ejus opinionem refellere satis haberet. Quae cum nihilominus nonnullis postea arriserit, denuo repetenda visa nobis quaestio est, si ipsi causas reperiremus cur truncis

lacerisque illis Favorini fragmentis integram orationem adjiciendam esse arbitraremur. Quae etiamsi cum Demosthenis contionibus nequaquam certare potest, tamen tale tamque insperatum incrementum, opibus a Favorino in hereditate relictis allatum, repudiare non licet.

Denique ipsa illa Favorini fragmenta in his quinquaginta annis diligentius explorata sunt. Multi enim viri docti, cum de Diogenis Laertii ratione compilandi et fontibus disputarent, occasione data, quatenus et quomodo Laertius Favorino usus esset, variis quidem sententiis, demonstrare conati sunt. Nam, cum vix dubitari posset quin neque ipsos adiisset philosophos quorum vitas et opiniones persecutus est nec plerosque eorum quos testes excitavit, quidam, dum unum potissimum auctorem ab illo compilatum esse volunt, suum quisque hominem certatim commendantes, « Demetrium, Dioclem, Favorinum stupentibus nobis venditavere[1] ». Quos inter Fr. Nietzscheus e Diocle fere omnia, interpositis nonnullis de Favorino decerptis narratiunculis, hausisse Diogenem contendit in commentationibus *De Laertii Diogenis fontibus* anno 1868 sqq. editis *(Rhein. Mus.,* XXIII, XXIV, XXV) : idem *(ibid.,* XXIII, p. 632-653 : *De Favorino Arelatensi),* excusso quodam Gellii loco *(Noct. Att.,* XIV, VI), inde et materiem et ordinem *Omnigenae historiae* Favorini eruere posse se credidit. Ut autem haec opinio nonnullis placuit, ita illam

[1] Usener, *Epicurea,* p. XXII.

redarguerunt H. Dielesius (*Rhein. Mus.*, XXXI, 1876, p. 30, adn., et *Doxogr. Graec.*, p. 161 sqq.) et Freudenthalius (*Hellen. Stud.*, Heft III : *Der Platoniker Albinos und der falsche Alkinoos*, Berlin, 1879, p. 305 sqq.) : tum in Dioclis locum supposuit E. Maassius (*Philolog. Unters.*, herausgegeben von A. Kiessling und U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Heft III : *De biographis Graecis quaestiones selectae)*, qui, nimirum divinationis quadam arte praeditus, non modo Diogenis opus propemodum epitomam esse Favorini contendere ausus est, sed etiam ex eodem fonte, quasi e cornu copiae, hausisse et Hesychium et plurimos quos singulos enumerare longum est.

Ingens autem illud Maassii aedificium, temere constructum et infirmis fundamentis nisum, haud aegre evertit Wilamowitzius (*ibid.*, *Ad Ernestum Maassium epistula*, p. 142-165) « inter somniantes vigilantissimus et acutissimus vir[1] » : qui non modo praefracte negavit apud Hesychium ceterosve quemquam esse locum qui certa ratione ad Favorinum referri posset, sed etiam quae ex Favorino sumpsisset Diogenes nec multa nec gravia esse docuit — non enim totiens Favorini nomen positurum fuisse eum, si omnia ab eo manarent — neque ingentis doctrinae prae se ferre speciem ; inde Diogenem paucula hausisse, quae auctoribus suis carptim adspergeret : nullum igitur, hac quidem in re, aut

[1] Usener, *Epicurea*, p. XXII.

dissimulationis aut mendacii vestigium apud eum apparere, sed aliquam saltem et lectionem et sedulitatem.

Hic vero Usenerus, cum sua *Epicurea* (Berolini, 1878) procuraret, dum Diogenis in compilando rationem et in connectendis excerptis artem deprehendere conatur, novam lucem videtur quaestioni attulisse. Cum enim jam satis constaret Diogenem auctores suos adventicia doctrina exornare solitum esse, librum ejus suspicatus est, eis quae aliunde passim excerpserat margini adscriptis, non recognitum librariis fuisse traditum, atque ita inexplicabiles turbas esse natas[1]. Quod recte vidisse eum a Volkmanno postea confirmatum est. Nam, quod ille docuerat, excusso, exempli causa, quodam vitae Platonis loco (Diog. L., III, 5 sq.), id, multis aliis inspectis locis, hic comprobavit in duobus dissertationibus quas annis 1890 et 1895 edidit (*Iahresbericht über das städtische evangelische Gymnasium zu St. Maria Magdalena in Breslau : Quaestionum de Diogene Laertio*, cap. I et II). Quod ad Favorinum spectat, collatis inter se Laertio et Hesychio, qui multas philosophorum vitas communi ex fonte deprompserunt, patere videtur in subsidium atque, ut Graeci dicunt, ἐν προσθήκης μέρει Favorinum a Diogene plerumque fuisse adsumptum. Quae in nostrum usum conferre conabimur, cum nobis ipsis infra de *Omnigena historia* et *Memorabilibus* erit disputandum. Hoc interim admonere satis

[1] Usener, *Epicurea*, p. XXIII.

erit : si periculum est ne ea quae exstant e Favorini operibus, tali ratione examinata, saepius deminuta quam aucta evadant, certe haud pejus de Favorino meriti erunt si qui eum, quorundam errorum, immerito ei adscriptorum, crimine absolverint, quam qui, nullo jure, thesaurum universae doctrinae esse voluerunt atque, ut ita dicam, in altum sustulerunt ut casu graviore rueret.

Unum etiam adjiciendum est. Eae omnes, quas memoravi, dissertationes, quatenus ad Favorinum spectant, tantummodo fragmenta ejus tetigere[1]. Nuperrime autem Ludovicus Legré Favorini vitam et opera et aequales uno conspectu complexus est, edito satis amplo libro et diligenter conscripto et quem legere haud sane injucundum est[2]. Ego vero fere nullam inde utilitatem percepisse me profiteor, non modo quia tum demum mihi ille in promptu fuit postquam jam mihi collecta erat hujus libelli materies, verum etiam — quod vel e proemio praesagire licet — quia magis Arelatensium gratia scriptus est

[1] Alia quoque opera, amplioris ambitus, in quibus Favorinus obiter tactus est, ad manum nobis fuisse par est. Quae ne singula hic nominemus, satis erit interim ea excipere :

E. Zeller, *Philosophie der Griechen,* III³, II, Leipzig, 1881.
V. Brochard, *Les Sceptiques Grecs*, Paris, 1887.
A. et M. Croiset, *Histoire de la Littérature Grecque,* V, Paris, 1899.
R. Hirzel, *Der Dialog,* II, Leipzig, 1895.
E. Norden, *Die antike Kunstprosa,* II, Berlin, 1898.

[2] Ludovic Legré, *Un philosophe Provençal au temps des Antonins : Favorin d'Arles, sa vie, ses œuvres, ses contemporains*, Marseille, 1900.

atque eorum qui per voluptatem Graecas Latinasque litteras colunt quam eorum qui artem exercent pernoscendae antiquitatis. Denique fidei meae convenit hic memorari Franciscum Picavet jamdudum praeparatam habere materiem libelli quem de Favorino conficere destinat quemque haud scio an jam editurus fuerit, nisi roganti mihi ne me praeverteret magna benevolentia morem gessisset.

CAPUT PRIMUM

Pauca de vita Favorini.

De vita Favorini uberius hic disserere mihi non propositum est, non modo quia jam ante ab aliis diligenter collecti atque ordine digesti sunt omnes veterum auctorum loci qui ad hominem pertinent, verum etiam quia nobis ipsis infra, cum de studiis et scriptis ejus disputabimus, plerique eorum memorandi erunt. Minime igitur opus est aut jam ab aliis dicta repetere aut praecipere ea quae mox ipsi prolaturi sumus ; sed illud tantum recte et utiliter nobis hic tentare posse videmur, ut quam brevissime exponamus quas urbes quasque regiones inviserit colueritve Favorinus, quorum virorum consuetudine usus sit, quibus denique finibus ejus vita contineatur.

Ac primum qua sit aetate natus nec compertum habemus necdum locus est subtilius disquirendi. Interim admonere satis est imperatore Hadriano

floruisse eum[1], neque ante annum CXLIII post Chr. obiisse; illo enim anno consulatum gessisse constat Cornelium Frontonem et Herodem Atticum[2], qui M. Aurelii Antonini praeceptores fuerunt : narrat autem Gellius Favorino se comitem fuisse, cum ad M. Frontonem *consularem,* pedibus aegrum, visum iret[3]. Quae vero fuerit patria ejus nequaquam incertum est. Nam Philostratus scripsit Arelate eum esse natum, in urbe ad Rhodanum sita[4], quod a nonnullis aliis scriptoribus ita confirmatur ut a Gallis sine ulla dubitatione vindicari possit nosterque appellari[5]. Equestrine fuerit loco oriundus infra disputabimus[6]; Romanum certe civem ipse se esse dixit : ideo enim grammaticae studuisse se professus est « quoniam *civibus Romanis* Latine loquentibus rem non suo vocabulo demonstrare » turpe esset[7].

Cum jam aliquanto ante[8], teste Suetonio[9], Romana

[1] Hieron., *Ad. a. Abr.,* 2148 = Hadr. 16 = 132 p. Chr. « Favorinus et Polemo rhetores insignes habentur. »

[2] Vide apud Bouché-Leclercq, *Manuel des Institutions Romaines, Fast. consul.,* p. 605; Th. Mommsen, *Die Chronologie der Briefe Frontos, Hermes,* VIII, p. 203 in fine.

[3] Gellius, *Noctes Atticae,* II, XXVI, 1. Nullo igitur respectu digna sunt Suidae verba, s. v. Φαβωρῖνος : γεγονὼς ἐπὶ Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος καὶ παρατείνας μέχρι τῶν Ἁδριανοῦ χρόνων τοῦ βασιλέως.

[4] Philostratus, *Vitae Sophistarum,* I, VIII, 1.

[5] Cassius Dio, LXIX, 3 : τὸν Φαουωρῖνον τὸν Γαλάτην; Lucianus, *Eunuchus,* VII : καί τις Ἀκαδημαϊκὸς ἐκ Κελτῶν. quae verba ad Favorinum spectare liquet. Ipse Favorinus apud Gellium *(N. A.,* II, XXII, 20) dixit *nostri Galli.*

[6] Cf. infra, p. 25, adn. 9.

[7] Gellius, *N. A.,* IV, I, 18.

[8] A. U. C. 407; ante Chr. 46.

[9] Suetonius, *Tiberius,* IV : « Pater Tiberii, quaestor C. Caesaris, Alexandrino bello classi praepositus, plurimum ad victoriam

colonia Arelatem deducta esset, Latino sermone Arelatenses vulgo usos fuisse credendum est. Favorinum autem Graece loqui solitum esse confidentius etiam asseverare licet, quippe qui id ipsum inter vitae suae παράδοξα duxerit quod, cum Gallus esset, Graece loqueretur[1]. Quodam etiam *Noctium Atticarum* loco[2] invenimus eum dixisse, — ac, nisi dixisset, ex plurimis aliis Gellii locis facile suspicaremur, — cum jam aetate provectus Romae versaretur, etiam tum Graeco potissimum sermone se esse usum[3], Romanae autem linguae multo minus fuisse assuetum[4]. Quod etsi παράδοξον esse professus est[5], tamen ejus rei ratio facile reddi potest, si reputamus Graecos Romanis in eis littoribus multo antevertisse, adeo ut quasi Graeciae provincia jamdudum facta esset ea regio, quae postea Romani imperii Provincia nuncupata est. Etenim, jam Strabonis aetate, multi Romani haud ignobiles et studiorum amantes Massiliam, tanquam videlicet Athenis haud imparem (ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας), commigrare solebant[6]. Neque ita multo ante Favorinum, Julium Agricolam habuisse « Massiliam se-

contulit. Quare et pontifex in locum P. Scipionis substitutus et ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbo et Arelate erant, missus est. »

[1] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 1.

[2] Gellius, *N. A.*, XIII, XXV (XXIV), 4. Cf. infra, p. 26.

[3] Id., *ibid.*, II, XIII ; IX, VIII, 4 ; XIV, I, 1 ; XII, I, 24 ; XVI, III, 2 ; XVIII, VII, 4. Cf. Philostr., *V. S.*, I, VIII, 7.

[4] Id., *ibid.*, II, XXVI, 7 ; XVIII, VII, 2 ; XX, I, 20 ; cf. VIII, II, lemm.

[5] Quanquam multo etiam magis παράδοξον est Claudium Ælianum, in Latio natum, Graece historias suas conscripsisse.

[6] Strabo, *Geogr.*, IV, 181.

dem ac magistram studiorum, locum *graeca comitate* et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum » ab ipsius genero accepimus[1]. Nec minus Arelatem ipsam graeca comitate fuisse imbutam plurima adhuc exstant indicia[2]. Graecas artes illic floruisse inclyta monumenta declarant, sive jamdudum inde migravere, sive etiamnunc felicem eam terram decorant. Quid quod insignem illam Arelatensium mulierum formam haud imparem esse Graecae venustati, quae eis e majoribus hereditate obtigit, fere inter omnes convenit? Qua in urbe educatus, haudquaquam mirum est si Favorinus vehemens Graecarum litterarum studium concepit.

Ac, nisi temere conjecta sunt ea de quibus infra disputaturi sumus[3], tanta ipsius Graeciae invisendae cupiditate flagravit, ut, cum posset, multorum adulescentium more, publicis fungendo muneribus, honores adipisci, invitis fortasse parentibus, mare trajiceret, sive in ipsa Massilia navem conscendit, sive, quod propius fidem est, per Romam et Italiam iter fecit[4]. Ita id ipsum iter suscepisse videtur quod haud multo post a Luciano, inverso quidem ordine, susceptum est[5]. Certe in Ionia moratum esse constat

[1] Tacitus, *Agricola*, IV.

[2] De Arelate Graeca, vide Ch. Lenthéric, *La Grèce et l'Orient en Provence,* c. IV et VI. Cf. E. Renan, *Orig. du Christ., Marc-Aurèle,* p. 343, adn. 2.

[3] Cf. infra, p. 25 sq.

[4] Cf. Marres, *op. laud.*, p. 13, et Croiset, *Hist. de la Litt. Gr.,* V, p. 539. Ceterum vix credimus diu Romae ante moratum esse eum quam Graeciam peteret.

[5] Cf. M. Croiset, *Essai sur Lucien,* I.

Favorinum[1]; Graeciam vero ante petivisse, quanquam id quidem non diserte a Philostrato traditum est, vel inde patet quod virorum quorundam consuetudine usus esse memoratus est quos nisi in Graecia videre non potuit.

Quos inter num Epictetus fuerit ut dubitari potest, ita non est quod negetur. Nam quaedam ejus verba non modo rettulit Favorinus, sed *solitum esse* eum dicere sic affirmavit, quasi aliquantum temporis eum audivisset[2]. Quod postea in Epictetum invectus est[3], nullum facessit negotium : neque enim stoicum fieri necesse erat si quis semel ejus limen ingressus erat, quandoquidem ipse Epictetus multos suorum discipulorum Academicos et Epicureos et quidvis potius quam stoicos esse nonnunquam questus est[4]. Quemadmodum autem ab Arriano accepimus nonnullos eorum qui Italiam petebant et Nicopoli navem conscensuri erant Epictetum invisisse[5], sic verisimile est Favorinum etiam, siquidem Brundisii navem conscenderat, ubi primum Nicopolim appulit, non abstinuisse quin inclytum illum philosophum adiret[6].

[1] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 5.

[2] Gellius, *N. A.*, XVII, XIX, 1 et 5. Ea utique verba, nisi fallor, aberant a dissertationibus ejus ab Arriano digestis, quas Gellius in promptu habuisse videtur (XVII, XIX, 2 et 3). Quanquam cf. Gell., *N. A.*, XVII, XIX, 6, et Epicteti *Dissert.*, IV, VIII, 20.

[3] Galenus, *De opt. doctr.*, I; I, p. 41 K. Cf. infra, cap. IV.

[4] Epicteti *Dissert.*, II, IX, 19; III, XXIV, 38.

[5] Id., *ibid*, I, X, 2; III, IX, 14.

[6] Cf. quod fecit Gellius, cum e Graecia rediret, ubi Brundisium navem advertit : « Ibi quispiam linguae latinae litterator, Romae a Brundisinis accersitus, experiundum se vulgo dabat. Imus ad eum nos quoque oblectamenti gratia. » (*N. A.*, XVI, VI, 1-2.)

Ut stoica disciplina ibi se fortasse imbuit, ita peripateticam et academicam disciplinam attigisse traditur a Plutarcho, qui cum Favorino, licet aliquanto natu major esset, arta consuetudine videtur fuisse conjunctus[1]. Nam et Favorinum de autumnalibus insomniis secum et cum filiis suis disputantem induxit[2], et libello suo *De primo frigido* sive *De principio frigoris* Favorini nomen inscripsit : qui et ipse, videlicet ut Plutarcho vices redderet, ei dedicavit librum Περὶ Ἀκαδημαϊκῆς διαθέσεως[3]. Ille Plutarchi libellus circa annum CVI videtur esse conscriptus[4], quo tempore Favorinus adulescens fuisse putandus est[5]. Ubi vero viderit Plutarchum incertum est. Ut enim Plutarchum ipsum Athenas sese contulisse novimus, ita aut Chaeroneam conveniebant juvenes ejus filiorum aequales aut Delphos aut ad Thermopylas[6]. In libello *De principio frigoris* ea memoravit Plutarchus quae Favorinus Delphis audire potuerat[7]; sermo

[1] Ceterum num librorum numero Plutarchum aequare tentaverit, quod apud unum Suidam (s. v. Φαβωρῖνος : ἀντεφιλοτιμεῖτο γοῦν καὶ ζῆλον εἶχε πρὸς Πλούταρχον τὸν Χαιρωνέα ἐς τὸ τῶν συνταττομένων βιβλίων ἄπειρον.) legitur, dubitari potest.

[2] Plutarchus, *Quaest. conv.*, VIII, x. Idem cum quaereret cur pueros non sinerent Romani intra domum Herculem jurare, Favorini sententiam, fortasse in sermone quodam auditam, laudavit (*Quaest. Rom.*, XXVIII).

[3] ὁ Πλούταρχος ἐπιγέγραπται (Galenus, *De opt. doctr.*, I; I, p. 41 K.). In libro *Contra Epictetum*, Onesimum, Plutarchi servum, cum Epicteto colloquentem induxerat (Id., *ibid.*; cf. infra, cap. IV).

[4] Cf. R.Volkmann, *Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea*, I, p. 79.

[5] Cf. R. Hirzel, *Der Dialog*, II, p. 121, adn. 3.

[6] Cf. Gréard, *De la Morale de Plutarque*, I, I, p. 44.

[7] Plutarchus, *De pr. fr.*, XVIII, 4 : ἐν δὲ Δελφοῖς αὐτὸς ἤκουες...

autem de autumnalibus insomniis tanquam apud Thermopylas habitus relatus est[1].

At Demonax non tanti fecisse videtur Favorinum quanti Plutarchus ; sed ille, ut natura derisor erat neque ipsi Epicteto parcebat[2], Favorini sermones tanquam fractos et molles et versibus mixtos, denique parum philosophiae convenientes respuebat[3]. Neque vero in sermones modo, sed in ipsum magna libertate jocabatur[4], quia ambiguo esset sexu, quod Graeci dicunt ἀνδρόγυνον sive ἑρμαφρόδιτον. Sic quidem a Philostrato accepimus[5], atque etiam imberbem et acutae vocis usque ad senectutem fuisse Favorinum[6]. Quem, cum Philostratus *speciem* eunuchi rettulisse dixerit[7], Demonax εὐνούχοις per ludibrium adnumerabat[8], quod a Luciano ipso confirmatur, qui plurima dicta ab inimicis, stoicis cynicisque praecipue, de illo corporis vitio ridicule in eum conjecta fuisse memoravit[9]. Idem autem Lucianus bis testatus est Favorinum magnam famam sibi conciliasse et magno assensu a vulgo fuisse exceptum[10]. Quinetiam a Phi-

[1] Plutarchus, *Quaest. conv.*, VIII, x, 1.
[2] Lucianus, *Demonax,* LV.
[3] Id., *ibid.,* XII.
[4] Id., *ibid.,* XII et XIII.
[5] Philostratus, *V. S.,* I, VIII, 1 ; Suidas, s. v. Φαβωρῖνος.
[6] Id., *ibid.,* I, VIII, 1 ; Lucianus, *Demonax,* XIII.
[7] Id., *ibid.,* I, XXV, 3 : τὸ εὐνουχῶδες.
[8] Lucianus, *Demonax,* XII.
[9] Id., *Eunuchus,* VII. Ipse etiam Favorinus non suo nomine, ut opinor, sed ex industria contumelias inimicorum referens, id verbum usurpabat, cum joci causa diceret sese, quanquam eunuchus esset, adulterii reum a consulari viro factum fuisse (Philostratus, *V. S.,* I, VIII, 1).
[10] Id., *ibid.,* VII : καί τις Ἀκαδημαϊκὸς εὐνοῦχος ἐκ Κελτῶν

lostrato accepimus aeneam ejus statuam ab Atheniensibus fuisse positam[1]. Tali honore a Corinthiis quoque auctus fuisse videtur : qua de re infra disputabimus[2].

Major etiam fama majoresque simultates in Asiam illum prosecutae sunt. Nam gravem contentionem ortam esse ibi eum inter ac Polemonem sophistam Philostratus tradidit et Smyrnaeos Polemoni favisse, Ephesios autem stetisse a Favorino[3]; quod, nisi jam aemulatio quaedam inter utramque urbem intervenisset, ne ita quidem esset quod admiraremur : tanto amore sophistarum et declamatorum ea in regione eaque aetate insaniebatur. In Asia quoque Dionem auditum fuisse a Favorino opinor, quem et ipse sibi praeceptorem fuisse jactabat[4] et Philostratus dicebat ab eo tantum distare Favorinum quantum qui nunquam audivisset[5]. Certe, cum Polemonem noverimus in Bithyniam sese contulisse Dionis audiendi causa[6], nihil impedit quominus Favorinum quoque eadem aetate eodemque consilio iter illud suscepisse credamus[7]. Ut vero ambo Dionem audi-

ὀλίγον πρὸ ἡμῶν εὐδοκιμήσας. Cf. *ibid.* :....... οὐ καταπλαγεὶς αὐτοῦ τὴν παρὰ τοῖς πολλοῖς δόξαν.

[1] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 3.

[2] Cf. infra, cap. II, p. 22 sqq.

[3] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 5.

[4] Id., *ibid.*, I, VIII, 3.

[5] Id., *ibid.*, I, VIII, 7.

[6] Id., *ibid.*, I, XXV, 18. Inter annos CV-CXII cecidisse arbitrandum est illud Polemonis iter, si rationibus a J. de Arnim (*Leben und Werke des Dio von Prusa*, p. 463) subductis statur.

[7] Nescio an imprudens M. Croiset (*Hist. de la Litt. Gr.*, V, p. 468) dixerit, aut dixisse videatur, Romae ante exsilium suum

verunt, ita ab ambobus auditus est Herodes Atticus [1], qui eos, quamvis inter se dissidentes, pari admiratione prosequebatur [2].

Ambo etiam ex Asia Romam trajecerunt necnon et inimicitia illa quae inter eos intervenerat, siquidem apud Philostratum legimus litem illic inter eos exortam Romae de integro majore vehementia fuisse instauratam, adeo ut nobilissimi viri, consules consulumque filii, ab utraque parte starent [3]. Favorino certe non defuisse qui ea in re faverent nequaquam mirum est, quem a multis civibus, et eis haud ignobilibus, in familiaritatem receptum esse apud Gellium invenimus. Ac primum cum Herode illo, quem ante in Asia eum cognovisse suspicatus sum [4], Romae profecto artissima consuetudine usque ad mortem conjunctus est, quando eum et librorum suorum et aedium quas Romae possidebat, et servi cujusdam, Autolecythi nomine, qui Attica verba Indicis ridicule

Dionem a Favorino fuisse auditum ; quod parum verisimile est, siquidem Favorinus non ante annum LXX post Chr. natus est (*ibid.*, p. 539).

[1] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 4 ; II, I, 34. Herodem illum satis constat annis CXXV-CXXX in Asia liberarum civitatum διορθωτήν fuisse (Cf. Vidal-Lablache, ***Hérode Atticus***, p. 21-22).

[2] Cf. Vidal-Lablache, *op. laud.*, p. 141.

[3] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 5. Romam venit Polemo imperatore Antonino, quem proconsulem in Asia viderat (Id., *ibid.*, I, XXV, 8); Favorinus autem aliquanto ante, siquidem eo familiariter usus est Hadrianus : quanquam in Asia incipere potuit ea consuetudo. Cf. infra, p. 11.

[4] Quod eo conjici potest quod Herodes Favorino amicissime scriptas mittebat epistulas, quibus cupidissimum sese praestabat iterum visendi eum quem patrem et magistrum nuncupabat (Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 4).

miscendo utrumque recreabat, heredem scripsit[1]. Frontonem etiam illum, qui consulatum eodem anno quo Herodes gessit, et pedibus aegrum visum ibat[2], et cum eo erudite simul atque amicissime colloquebatur[3]. Quibus amicis adde alium quendam consulem, cujus nomen non traditum est a Gellio[4], et Sextum Caecilium, quem « in legibus populi Romani noscendis interpretandisque scientia, usu auctoritateque » illustrem fuisse Gellius rettulit[5], et hospitem illum cujus in Antiatem villam aestu anni Favorinus fertur concessisse[6]. Multi etiam juvenes, quorum quidam nobiliore loco orti erant[7], eum audiebant atque assidue sectabantur, quemadmodum ipse in Graecia inter eos juvenes fuerat quos Plutarchus in familiaritatem suam receperat. Nam Romae quoque declamavit[8] (quod vel e lite cum Polemone renovata conjicere licet[9]), atque id quidem feliciter, et rhetoricam philosophiamque docuisse videtur[10]. Sed eorum

1 Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 4.
2 Gellius, *N. A.*, II, XXVI, 1. Cf. supra, p. 2.
3 Gellius, *N. A.*, II, XXVI.
4 Id., *ibid.*, XIII, XXV (XXIV), 2.
5 Id., *ibid.*, XX, I, 1.
6 Id., *ibid.*, XVII, X, 1.
7 Id., *ibid.*, XII, I, 3.
8 Id., *ibid.*, IX, VIII, 3 ; XIV, I, 1 ; XVII, XII.
9 Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 7.
10 Inter discipulos Favorini memorantur tres rhetores, qui ejus dicendi genus secuti esse feruntur, Alexander Seleucensis, cognomine Πηλοπλάτων (Philostratus, *V. S.*, II, V, 12), et Quadratus consul (Id, *ibid.*, II, VI), et Demetrius Alexandrinus (Galenus, *De praecogn.*, V) ; de quibus longius disserere non operae pretium est. Alexander quidem non dubium est quin Romae audiverit Favorinum. Nam, ubi primum inter virorum numerum adscriptus

multos etiam fuisse credo qui, cum nullius artis laudem affectarent, id satis habebant si vel ex ipsis sermonibus et cotidiana consuetudine, sive apud mensam sive inter ambulandum, haud mediocrem oblectationem utilitatemque perciperent, adeo non modo facetus atque urbanus, sed variae immensaeque doctrinae homo erat. Quod facile intellexerit si quis vel cursim evolverit Gellii *Noctes Atticas*, quo profecto nemo magis assidue Favorinum sectatus aut vehementiore admiratione complexus est. « Cum Favorino, inquit, Romae dies plerumque totos eramus tenebatque animos homo ille fandi dulcissimus, atque eum, quoquo iret, prosequebamur : ita sermonibus usquequaque amoenissimis demulcebat[1]. »

Nullus vero Favorini amicorum nobilior fuit quam imperator Hadrianus : quem propter id ipsum memoravimus ultimum, non tanquam Romae demum ejus gratiam Favorinus sibi conciliaverit et alienaverit. Nam multo propius fidem est jam in Graecia et in Asia natam esse eam amicitiam, eadem fere aetate qua cum Herode consuetudinem junxit[2]. Hunc imperatorem sciunt omnes, cum tot et tanta negotia sustineret, litterarum artiumque amantissimum fuisse. Cum autem in summa familiaritate philosophos, grammaticos, rhetores, musicos, geometras, pictores,

est, Romam venit imperatore Tito Antonino Pio (Philostratus, *V. S.*, II, v, 2) : Athenas autem demum regnante M. Aurelio Antonino venisse atque haud longe moratum ibi esse se professus est (Id., *ibid.*, II, v, 3 et 4).

[1] Gellius, *N. A.*, XVI, III, 1.

[2] Cf. supra, p. 9, adn. 3.

astrologos haberet, prae ceteris eminuisse Favorinum a Spartiano accepimus[1]. At, cum ipse nullius non artis imperitus esse vellet videri atque omni in re excellere sese judicaret, lubrica erat talis amicitia: quare, etiam cum de grammatica disputabatur, tutum erat non altercari cum iracundo imperatore, sed doctiorem utique credere esse eum, quod facetissime dixit quadam die Favorinus, qui triginta legiones haberet[2]. Atque etiam, Cassio Dione teste, vel potius eo qui Cassii Romanam historiam in compendium redegit, in summum periculum una cum sophista Dionysio Milesio adductus est: Hadrianum enim, cum, sive fastidio sive invidia affectus, utrique susceneret, ideo tantum eis pepercisse quia nullam speciosam causam repperisset cur eos interficeret; ita tamen iracundiae suae in Favorinum indulsisse ut, cum ille ἀρχιερεύς domi creatus esset, quod munus magnas impensas requirebat, et ad imperatorem, tanquam philosophus esset, provocasset, immunitatem illi denegaret, vel potius denegaturus fuerit, nisi ille praevertisset[3]. Philostratus autem, qui rem paulo copiosius eadem ferme aetate narravit, non gravissimum fuisse odium illud arbitrabatur, sed per lusum, animi a publicis curis remittendi causa, doctos viros vexare solitum imperatorem[4]. Id tamen magnopere

[1] Spartianus, *Hadr.*, XVI.
[2] Id., *ibid.*, XV.
[3] Cassius Dio, LXIX, 3.
[4] Idem, cum Dionysii Milesii vitam scriberet, ne memoravit quidem odium Hadriani, equestri autem ordini adscriptum eum ab imperatore fuisse rettulit (Philostratus, *V. S.*, I, XXII, 5). Cf. infra, p. 30, adn. 2.

laudavit quod Hadrianus ei pepercisset quem interficere licuisset; atque hoc Favorinus ipse tertium vitae suae παράδοξον ducebat quod, cum ab Hadriano dissideret, tamen viveret[1].

Certe aliquantum temporis Hadriano superfuit, quando Romae una cum Gellio Tit. Antoninum imperatorem salutatum ire solebat[2] et consularem visit Frontonem[3]. Aliquanto autem ante annum CLX mortuum esse eum opinor, siquidem ea aetate jamdudum Roma migraverat Athenas[4] Herodes ille cui moriens aedes, libros servumque reliquit[5]. Cum vero haud dubium sit quin ad senectutem pervenerit Favorinus, quippe quem dixerit Philostratus, etiam cum *senesceret,* imberbem fuisse[6], circa annum LXXX natum esse eum conjici potest : eis enim finibus contineri posse videtur quicquid de Favorino traditum est.

[1] Philostratus, *V. S.,* I, VIII, 1-2-3.
[2] Gellius, *N. A.,* IV, I, 1 ; XX, I, 1.
[3] Id., *ibid.,* II, XXVI, 1. Cf. supra, p. 2.
[4] Cf. Vidal-Lablache, *Hérode Atticus,* p. 79 et adn. 1.
[5] Philostratus, *V. S.,* I, VIII, 4.
[6] Id., *ibid.,* I, VIII, 1.

CAPUT SECUNDUM

De Favorino sophista.

Nunc postquam vitam Favorini persecuti sumus variosque ejus magistros, amicos, discipulos recensuimus, quaerendum esse ante omnia videtur quo sit nomine ipse appellandus quibusque oratoribus scriptoribusve adnumerandus : sunt enim qui sophistis eum adjudicent, alii autem philosophiae vindicant. De quo cum duo adhuc exstent praecipui auctores, Gellium praesens in tempus omittere licet, quia jam senescentis Favorini discipulus videtur fuisse ; Philostratum autem, quanquam nec pes nec caput in ejus narratione apparet, si quis vel cursim evolverit, eam maxime opinionem concipiet, simillimum ceteris sophistis fuisse Favorinum quorum vitas conscripsit (si hoc nomine appellare licet undique collectas atque in unum collatas fabulas). Quorum hominum paene infinitam varietatem communibus quibusdam signis exprimere et, quantum quidem fieri potest, unam

imaginem depingere ab hujus libelli mediocritate propositoque alienum est, cum praesertim a nonnullis haud spernendis scriptoribus jam feliciter res tentata fuerit[1]. Breviter tantum ac strictim hic in memoriam revocare satis erit et circa quas potissimum materias versarentur et quam ingenti favore, Trajani, Hadriani Antoninorumque aetate, fuerint excepti.

Qui si forte incredibilis esse videtur, reputemus haud minore etiamnunc favore gratiaque vulgus complecti histriones, qui multa profecto cum sophistis communia habent. Quanquam histriones quidem nihil ex suo afferunt, sed aliena, quae ad verbum edidicerunt, memoriter recitant; sophistae autem plerumque a sese excogitata, nonnunquam ex praeparato, saepius subito declamabant, adeo ut dicendi ex tempore facultas propria sophistarum laus esse videretur. Sed, quo facilius magniloquentiae indulgerent, vetera tempora repetebant, quod quidem in scholis solebat atque etiamnunc solet fieri, et, quasi Herodoti vel Thucydidis aetate nati essent, Darii vel Alcibiadis, histrionum more, personas agebant. Quinetiam argumenta in quibus jam Isocrates vel Demosthenes versati fuerant nulla verecundia retractabant, ita ut ab iis ipsis, cum quibus contradicebant, arma — res et

[1] Emperius, *De oratione Corinthiaca falso Dioni Chrysostomo adcripta*, Brunsv., 1832, p. 1-10 *(Opuscula,* ed. Schneidewin, Goett., 1847); Kayser (Philostrati *V. S.*, 1838), *passim;* Erwin Rohde, *Der griechische Roman,* c. III; C. Martha, *Les Moralistes sous l'Empire Romain (La prédication morale populaire,* II), p. 219-235; Schmidt, *Der Atticismus,* I, II; H. von Arnim, *Leben und Werke des Dio von Prusa,* I; Croiset, *Hist. de la Litt. Gr.*, V, c. IV.

verba dico — mutuarentur. Saepe vero rebus paene omnino destitutas orationes habebant. Nam, quo major appareret eloquentiae virtus, quae, ut pejora probare audientibus, ita minima augere et extollere posset, in vilissimis et, ut dicebant, infamibus materiis vires suas exercebant. Quibus in declamationibus, ut par est, lepide et insolenti quadam subtilitate detornatae sententiae pro rebus valebant; ineptae etiam et sensus omnis expertes nugae non secus movebant audientium plausus, si ore rotundo et fluenti facundia et canora voce et actionis suavitate commendabantur. Ac, quo plures orationibus illis delectarent, maria trajiciebant atque urbes Asiae et Graeciae et Italiae, quasi triumphum agerent, obibant ibique aeneis signis honorabantur. Quidam etiam inter se, gladiatorum more, certamina edebant, scissis in factiones urbibus, perinde ac propter aurigas vel histriones. Neque vero visere atque audire eos dedignabantur imperatores, interdum etiam muneribus, honoribus, titulis cumulabant. Mores quoque ejusmodi hominum histrionales erant : immanis luxuriae, superbiaeque exempla quaedam feruntur, ac, si quis forte temperantem et modestum se gessit, is quasi rara avis a Philostrato memoratur[1]; erant qui aequales atroci invidia insectarentur; erant etiam qui cum imperatoribus aequo jure agerent.

Quod si apud Philostratum legimus cum quibus hominibus conversatus sit Favorinus, sive amicis

[1] Philostratus, *V. S.*, I, XXII, 5,

aliis utebatur sive inimicitias cum aliis exercebat, et de quibus maxime rebus aut scripserit aut disseruerit, eorum sophistarum turbae jure videtur adscribendus. Nam primum apud Hadrianum, quem sophisticae artis et versiculorum et cunctarum ejusmodi nugarum amantissimum fuisse omnes noverunt, maxima gratia valuisse fertur una cum grammaticis, rhetoribus, astrologis[1]; ejusdem, qui aequalium impatiens esset atque omnibus in omni re antecellere vellet, invidiae obnoxius fuit, una cum sophista Dionysio Milesio[2]. Praeterea cum Herode Attico, qui declamandi artem usque ad finem vitae exercuit et omnibus ceteris artibus praestare existimabat[3], summa familiaritate conjunctus est, ita ut ab eo magister paterque salutaretur[4]. Denique, quod etiam insignius est, cum Polemone memorandam litem habuit. Quae contentio, ut est genus irritabile, non modo vatum, sed etiam sophistarum, adeo aspera fuit (nam neque a maledictis neque a famosis libellis abstinuerunt) ut ipsi Philostrato, qui nimium sophistis alioqui indulgere solet, modum excessisse et reprehensione digni fuisse viderentur. Dixit etiam jure sophistam a quibusdam appellatum fuisse Favorinum, quoniam cum sophista simultates exercuisset : aemulationem enim fere non intercedere nisi inter ejusdem artis professores[5].

[1] Spartianus, *Hadr.*, XVI. Cf. supra, p. 11 sq.

[2] Cassius Dio, LXIX, 3 ; Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 1-2. Cf. supra, p. 12 sq.

[3] Philostratus, *ibid.*, I, XXV, 13.

[4] Id., *ibid.*, I, VIII, 4. Cf. supra, p. 9 et adn. 4.

[5] Id., *ibid.*, I, VIII, 5. Cf. supra, p. 8 sq.

Ipse autem ex tempore leni quodam orationis flumine et abundanti verborum copia dicebat[1] et de qualibet re subito disserere poterat[2]. Quae vero conscripsisse a Philostrato traditur, quanquam non exstant, tamen vel ex ipsis titulis suspicari licet gravitatis expertia fuisse et infamibus eis materiis adnumeranda, de quibus disserere proprium esse sophistae Philostratus existimabat[3]. Duae quidem declamationes, quarum alteram adversus nutrices, adversus astrologos alteram Romae Favorinus habuit quasque paene integras Gellius *Noctibus Atticis* mandavit, dignae sunt quae de numero excerpantur[4]. Quid autem aliud esse potest quam ludicrum et nugatorium argumentum illa, quae fertur a Philostrato, nugarum laudatio, et illae orationes pro gladiatoribus balneisque habitae[5]? Quod quo propius fidem fiat, diserte testatur Gellius « Favorinum oppido quam libentem in eas materias sese dejecisse » et « febris quarto die recurrentis Thersitaeque laudes suscepisse, in quibus lepida sane multa et non facilia inventu dixisset » ; e quibus etiam, exempli gratia, « sententiolam unam haud invenustam » excerpsit et *Noctibus Atticis* inseruit, qui quartanam pateretur, ei novercam unam, duas autem esse matres, id est, duobus diebus bene esse, tertio quoque demum male,

[1] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 6.
[2] Galenus, *De praecogn.*, V.
[3] Philostratus, *V. S.*, I, VII, 2.
[4] Gellius, *N. A.*, XII, I, et XIV, I.
[5] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 6, ubi λήρῳ a Kaysero pro ἀώρῳ restitutum est. Nescio an pro gladiatoribus responderit Dioni, qui eos ludos acriter reprehenderat.

cum interea in rebus humanis alterna vice bonum et malum succedere solerent[1]. Tum hoc exemplo, tum Frontonis testimonio (quanquam vix sanus est locus atque obscurior) suspicari licet singulari quadam et peculiari arte infames materias sale et sententiarum subtilitate commendasse Favorinum. Nam Fronto, cum neglegentiae laudes aggrederetur, de Favorini sui pigmentis fuci nescio quid locutus est[2]. Ergo, ut opinor, quemadmodum mulieres fuco rugas et naevos et deformitatem celant aut celare tentant, sic Favorinus vilitatem materiarum sententiarum elegantia premere conabatur. Quae nugae, ut dignae erant, ingenti plausu ac favore excipiebantur : certe aliam sententiam « detornatam inclusamque verbis paucissimis », sed ambitiosae subtilitatis haud expertem, alio *Noctium Atticarum* loco relatam, testatur Gellius ingentibus omnium clamoribus fuisse exceptam[3]. Ii etiam qui sensum verborum non intellegebant nec quicquam praeter actionem percipere poterant, si Philostrato creditur, non ideo plausibus parcebant : tanta videlicet erat hominis vis et facundia, tantum etiam, ut opinor, audientium studium et voluntas ut qui Romae Graecarum litterarum imperiti erant ipsa oratoris pronuntiatione et argutis oculis et linguae volubilitate delectarentur[4].

[1] Gellius, *N. A.*, XVII, XII.
[2] Fronto, p. 260 ed. Niebuhr; p. 215 ed. Naber.
[3] Gellius, *N. A.*, IX, VIII, 3.
[4] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 7. Similis favor Hadrianum Tyrium sophistam prosequebatur (*ibid.*, II, x, 5) : οὕτως τὴν Ῥώμην ἐς ἑαυτὸν ἐπέστρεψεν ὡς καὶ τοῖς ἀξυνέτοις γλώττης Ἑλλάδος ἔρωτα παρασχεῖν ἀκροάσεως.

Denique sophisticam artem non modo exercuit, sed docuit. Alexander ille sophista, discipulis ejus a Philostrato adscriptus, maxime dictionis venustatem ab eo assumpsisse dictus est[1]; tradidit idem Philostratus Vari sophistae magistrum fuisse Quadratum consulem, qui Favorini more sophisticam exerceret[2]. Eo quoque nomine, ut opinor, despiciebatur ab eis qui philosophiam et gravitatem quandam profitebantur : inter quos Timocrates philosophus garrulum hominem, id est nugatorem eum appellabat[3]; Demonax autem, si cavillationes, quas in Favorinum conjecit[4], reputamus, non modo corpus ejus, sed ingenium etiam et orationem virilitate carere existimabat. Posterius a Cassio Dione diserte sophista vocatus est[5], a Suida rhetoricae potissimum arti indulsisse dictus est[6].

Eam autem famam, nisi fallor, tum maxime tulit cum in Graecia Asiaque erat. Haud equidem ignoro Romae quoque, teste Philostrato, favore aliquo exceptas fuisse ejus declamationes ; sed Philostratus eos tantummodo sophistas in librum admisit qui in Graecia Asiaque potissimum artem exercuere ; eos autem qui Romae inclaruerunt fere omnes praetermisit. Etenim Romae quidem librum edidisse vide-

1 Philostratus, *V. S.*, II, v, 12.
2 Id., *ibid.*, II, vi.
3 Id., *ibid.*, I, xxv, 23.
4 Lucianus, *Demonax*, XII-XIII.
5 Cassius Dio, LXIX, 3 › τὸν Φαουωρῖνον τὸν Γαλάτην καὶ τὸν Διονύσιον τὸν Μιλήσιον τοὺς σοφιστάς.
6 Suidas, s. v. Φαβωρῖνος : ἀνὴρ πολυμαθὴς κατὰ πᾶσαν παιδείαν, ῥητορικῇ δὲ μᾶλλον ἐπιθέμενος.

tur, ea certe aetate qua Romam incolebat, sed multo ante Antiochiae, cum in templo Apollinis Daphnaei, quo sophistae convenire solebant, cum Gordiano conversaretur, ejus conscribendi consilium iniit [1], nec dubium est quin in Graecia Asiaque materiem ejus collegerit. Nam Philostratus minus libris antea scriptis videtur esse usus quam sermones eos qui fama in rhetorum scholis tradebantur excepisse [2].

Quantam vero laudem in Graecia assecutus sit Favorinus cum ex aliis testimoniis intellegere licet, tum ex illa aenea statua ab Atheniensibus posita [3]. Forsitan etiam a Corinthiis eodem honore sit affectus, siquidem illa Corinthiaca oratio, quae Dionis operibus diu adscripta fuit, nunc multo verisimilius a Favorino habita fuisse existimatur [4]. Certe nullo jure

[1] Philostratus, *V. S.*, praef.

[2] Id., *ibid.*, I, XXII, 6 ; II, IX, 5.

[3] Id., *ibid.*, I, VIII, 3 ; cf. supra, p. 8. Cf. etiam Philostr., *ibid.*, I, XXIII, 2 in fine (de duobus Lolliani statuis erectis ab Atheniensibus), et Vidal-Lablache, *Hérode Atticus*, p. 87.

[4] Emperius, *De oratione Corinthiaca falso Dioni Chrysostomo ascripta*, Brunsv., 1832, p. 10-14 *(Opuscula*, ed. Schneidewin, Goett., 1847). Cf. I. Geel *(Adn. in Dionis or.*, p. 341 sqq.), qui ita judicavit Emperium, etsi satis probare opinionem suam nondum potuisset, tamen ea sagacissime conjecisse quae redarguere difficile esset. — E. Maass, *De biographis Graecis (Philol. Unters.*, III, 1880); Epimetra : I, *De Favorini oratione Corinthiaca*, p. 133 sqq. — W. Christ, *Gesch. der griech. Litt.* [2] (1890), p. 595, adn. 6. — H. von Arnim *(Dionis Prusaeensis quae extant opera omnia*, ed. J. de Arnim, 1896), vol. II, praef., p. III : « Orationem Corinthiacam (XXXVII) a Dindorfio ad finem relegatam in suum locum reposui, ut ordinem ab auctore hujus collectionis institutum sequerer, cum praesertim aliae quoque orationes spuriae genuinis permixtae legerentur. Quod vero Corinthiacam Anonymi esse scripsi nunc paenitet. Nam conjectura de Favorino ejus auctore satis firmis argumentis stabilita est. » — E. Norden, *Die antike Kunstprosa*,

Dioni adjudicatam fuisse eam jamdudum constat, neque ampliore probatione eget. Emperius enim, qui nescio an primus rem viderit, disertissime certe explanavit[1], eam disputationem non esse hercle vel moliminis magni vel periculi existimabat. « Quicumque enim, inquit, animo attento et uno tenore Dionis orationes perlegit, is cum ad Corinthiacam pervenerit, tantam et sermonis et ingenii disparilitatem deprehendet, ut vix alia quae a rebus in ea commemoratis ducuntur indicia desideret. » Quanquam ne illa quidem praetermisit, immo vero diligentissime est persecutus. Ac primum, fac Dionem a Nerva imperatore civitatem fuisse assecutum atque etiam equestri ordini adscriptum[2] (quod prorsus ignoramus, quamvis multa de vita sua in orationibus dixerit : ne Romanum quidem civem eum fuisse factum ullo Dionis ipsius loco reperimus), tamen nullo modo dicere potuit, qui Prusae, in Graeca civitate, natus educatusque esset, « a Romanis moribus ad Graecos se defecisse », neque usquam vidimus eum « et rem familiarem et civilem dignitatem, cuncta denique omisisse ut Graecus esse videretur, quod unum sibi pro omnibus bonis esset[3]. » Neque vero minus faces-

p. 422 sqq. — Cf. Croiset, *Hist. de la Litt. Gr.*, V, p. 541 ; R. Hirzel, *Der Dialog*, II, p. 120, adn. 3.

[1] Emperius, *De oratione Corinthiaca falso Dioni Chrysostomo ascripta*. Cf. supra, p. 22, adn. 4.

[2] Cf. *Orat. Corinth.* (*Dionis Chrysostomi opera*, e recensione Ad. Emperii, *or.* XXXVII ; *Dionis Prusaeensis quae extant opera omnia*, ed. J. de Arnim, XXXVII), 25.

[3] *Ibid.*, 25.

sit negotium quod Corinthiacae auctor id divinitus esse comparatum profitetur ut ipse non modo Graecis Romanisque exemplum praebeat, sed etiam Gallis, ne barbarorum ullus, in sese intuens, Graecam disciplinam recuset [1]. Quid enim Dioni cum Gallis? cum praesertim multum peregrinatus sit ac barbaras gentes adierit, quae cum in ipsius orationibus haud semel memoratae sint, Galliae mentio nulla fit. Ne illud quidem praetermittendum mihi videtur, quod in illa oratione imperator dicitur ad Graecos mores esse conversus [2]; quod non in Trajanum, sed in Hadrianum egregie cadit [3]: Dionem autem Trajano adhuc imperatore mortuum esse satis constat [4]. Denique ceterarum omnium rerum quae in oratione commemoratae sunt paene nulla in Dionem bene cadit, Favorino autem recte vidit Emperius aptius eas convenire.

Sed antequam ipsi rem aggredimur, paucis memo-

[1] *Orat. Corinth.*, 27.

[2] Recte enim emendavit Arnim ἐκεῖσε, cum antea vulgo ederetur ἔπεισεν (sc. auctor orationis ; omissis verbis ἔστιν ἰδεῖν). Idem autem προστάτην seclusit, nescio an jure dittographiam suspicatus (προστάτην πρὸς τὰ τῶν) : quanquam τὸν δέ non auctorem, sed imperatorem significare existimo. Ut enim τοὺς ἀρίστους Ἑλλήνων Graecorum exemplum est, ita τὸν δὲ Romanorum exemplum esse necesse est ; cum vero optimos Graecorum protulerit, par est et Romanorum optimum proferri. Ideo mihi quidem ita distinguendus esse videtur locus : εἰ δέ τις.... ἐζηλωκὼς.... (τῶν μὲν γὰρ.... πρὸς τὰ τῶν Ἑλλήνων), καὶ τούτων ἕνεκα.... προειμένος (cf. ἐζηλωκώς ; προιέμενον libri, προιέμενος Reiske).

[3] Eum enim narrat Spartianus (*Hadr.*, III) adhuc neglectas Latinas litteras tum demum colere coepisse, cum quaestor orationem imperatoris agrestius pronuntians risus esset.

[4] Vid. H. von Arnim, *Leben und Werke des Dio von Prusa,* p. 514 ; Croiset, *Hist. de la Litt. Gr.*, V, p. 472.

randum est Corinthiacae orationis argumentum. Corinthii statuam oratoris, quicumque ille fuit, propter facundiam ejus in publica bibliotheca aliquanto ante collocatam[1], jam conversis studiis everterant. Ille autem, quemadmodum insignem illum erectae statuae honorem plurimi fecisse et grato animo accepisse se testatur[2], sic levitatem hanc et iniquitatem Corinthiorum ita increpat ut tamen statuae fato nihil commoveatur nec memoriam sui una cum ea abolitum iri existimet[3]. Nobis vero media orationis pars diligentius persequenda est, in qua, bifariam defensione suscepta, primum merito erectam fuisse antea statuam demonstrat[4], tum nulla probabili causa, sed propter falsum crimen e medio esse sublatam[5].

Ac primum, quorum meritorum gratia erectam olim statuam profitetur orator, ea certe Favorino melius quam Dioni congruunt. Recte enim ille quidem dicere potuit a Romanis moribus ad Graecos se defecisse[6]. Namque et Arelatem Romanae coloniae titulo post mortuum Julium Caesarem decoratam esse constat[7], et ipsum civem Romanum fuisse apud Gellium deprehendimus[8]; equitem vero, ut nusquam reperimus, ita minime absurdum est[9]. Hoc igitur

[1] *Orat. Corinth.*, 8.
[2] *Ibid.*, 1-9.
[3] *Ibid.*, 37 sqq.
[4] *Ibid.*, 23-28.
[5] *Ibid.*, 32-37.
[6] *Ibid.*, 25.
[7] Suetonius, *Tib.*, IV. Cf. supra, p. 2, adn. 9.
[8] Gellius, *N. A.*, IV, I, 18. Cf. supra, p. 2.
[9] Memorat Emperius Senecam equestri et provinciali loco Cor-

mihi videor conjicere posse : cum per dignitatem originis et rem familiarem ei liceret sive domi sive etiam Romae ad honores promoveri, Graecarum litterarum, quas Massiliae ipsaque in Arelate floruisse constat[1], amore superante, omne suum studium in eis collocavit earumque patriam, Graeciam Asiamque, visere voluit; ubi postquam multos annos peregrinatus est, adeo ἀφηλληνίσθη ut Graecus natus esse videretur[2]. Id quidem conjectare licet; illud vero certum est : cum jam Romam incoleret, praesente Gellio dixit « operam sibi principem et prope omnem in litteris disciplinisque Graecis sumptam esse », voces autem Latinas « subsicivo tantum aut tumultuario studio coluisse » [3]. Eundem dictitare reputemus id admirandum in sua vita esse quod, cum Gallus esset, Graece loqueretur[4] : quod hercle non dixisset si omnes Arelatenses Graeco, non Latino sermone vulgo usi essent[5]. Ergo hoc quoque illi quidem dicere licuit, non Romanis Graecisve modo, sed etiam Gallis suum exemplum proponi potuisse, ne, in se intuentes,

dubae natum, et multas in urbibus mercatura celebrioribus habitare familias equestres. Neque vero diserte dixit Corinthiacae orationis auctor familia equestri se esse ortum, sed ipse demum ad equestrem dignitatem eniti potuit. Certe Dionysium Milesium sophistam, qui una cum Favorino fertur a Cassio Dione (LXIX, 3) gratia apud Hadrianum valuisse, equestri ordini ab eo imperatore fuisse adscriptum diserte dixit Philostratus (*V. S.*, I, XXII, 5).

[1] Cf. supra, p. 3 sq.

[2] Cf. *Orat. Corinth.*, 26.

[3] Gellius, *N. A.*, XIII, XXV (XXIV), 4. Cf. supra, p. 3, adn. 3 et 4.

[4] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 1.

[5] Cf. supra, p. 3.

Graecam disciplinam recusarent[1]; cum praesertim ne absens quidem ignotus a civibus videatur fuisse, quando domi sacerdos renuntiatus est[2]. Certe nullum novimus oratorem qui ita aptam Gallorum mentionem facere potuerit.

Quanquam illa argumenta fortasse minus apta ad fidem faciendam videbuntur : quae vero in altera defensionis parte, falsi criminis refellendi causa, ab oratore prolata sunt, ea aptissime Favorino conveniunt. Primum enim narrat Philostratus Athenienses, eos certe qui magistratus gerebant, aeneam Favorini statuam, impetu facto, dejecisse, tanquam Hadriano imperatori infestissimi[3]. Auctor autem Corinthiacae dixit non ultro Corinthios statuam suam evertisse, sed quibusdam hominibus obsecutos, de quibus cum nihil gravius dicere vellet, id tantum dixit, non decuisse eis obsequi Corinthios, quippe qui prora et puppis Graeciae essent[4]. Athenienses esse homines illos una cum Emperio opinor. Corinthiorum enim civitatem aptius est cum civitate Atheniensium conferri quam cum singulis privatisque oratoris obtrectatoribus. Marresius, ut Favorino orationem abjudicaret, contendit Favorini aetate non in Corinthum valuisse ea verba, verum in Athenas, quibus omni modo veterem dignitatem et gloriam

[1] Cf. *Orat. Corinth.*, 27.
[2] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 3; Cassius Dio, LXIX, 3. Cf. supra, p. 12.
[3] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 3.
[4] *Orat. Corinth.*, 35-36.

Hadrianus restituere studuisset[1]. Quod ut verum sit, tamen minus validum mihi videtur hoc argumenti : quasi forte oratores veritati magis quam temporibus voluptatique audientium semper consulere soleant! Ad hoc, cum inter illas civitates perpetuam aemulationem intercessisse constat, tum in ipsa oratione nonnullos locos deprehendo ubi Athenienses illuduntur et cum Corinthiis, non sine cavillatione, comparantur[2]. Haec mihi praecipue verba lucida videntur : οὐ γὰρ ἠξίουν οἱ ὑμέτεροι πρόγονοι δόξαν ἀγοράζειν[3], quod quidem fecisse ferebantur Athenienses, cum eos adiit Herodotus[4]. Duas igitur Favorini statuas eversas fuisse inde efficitur, alteram ab Atheniensibus, alteram deinde a Corinthiis, Atheniensium exemplum secutis.

Illud autem facessere negotium videtur quod, primo quidem adspectu, longe aliis de causis singulas statuas everterunt Athenienses et Corinthii. Illi enim, non quia ipsi Favorino infensi erant, sed tanquam Hadriano is infestissimus esset, in statuam ejus saeviisse a Philostrato feruntur[5], videlicet ut imperatori assen-

[1] Marres, *op. laud.*, p. 95.

[2] Vid. *Orat. Corinth.*, 5, ubi comparantur Pisistrati et Periandri tyrannides ; item 16-17. Vid. etiam 12 : αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι λήξεις τε καὶ κτήσεις τῶν θεῶν κατὰ μόνας εἰσίν · Ἄργος μὲν Ἥρας, Ἀθηνᾶς δὲ Ἀθῆναι, καὶ αὐτῶν γε τούτων τῶν θεῶν Ῥόδος μὲν Ἡλίου, Ὀρχηστὸς δὲ Ποσειδῶνος · Κόρινθος δὲ ἑκατέρων. Nec praetermittendum 41 in fine.

[3] *Ibid.*, 7 ; cf. 18.

[4] Diyllos apud Plutarchum, *De Herod. malign.*, XXVI ; Eusebius, *Chron.*, CLXIX.

[5] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 3.

tarentur, a quo plurima beneficia accepta rettulerant. Quare autem Hadrianus ita suscensuerit Favorino minus liquet apud eos qui de ea re scripserunt. Quorum alter narrat Hadrianum, cum nullius artis imperitus vellet videri, eis omnibus qui aliqua in arte excellerent invidere; sophistis vero Favorino et Dionysio Milesio, cum nullam probabilem causam reperiret cur eos e medio tolleret, quamvis iratus esset, pepercisse[1]. Alter obscurius etiam dixit Favorinum, tametsi cum Hadriano contendisset, tamen nihil gravius esse passum; atque id existimavit laudi esse habendum imperatori, quod aequo jure cum eo concertasset quem interficere liceret[2]. Addidit etiam Atheniensibus multo majoris momenti rem fuisse visam quam ipsi Hadriano, quippe qui animi oblectandi gratia atque ab imperii curis remittendi sophistas et philosophos obire et interdum vexare soleret[3]. Auctor vero Corinthiacae libidinosum quoddam flagitium falso crimine sibi exprobratum esse significat[4], cui nimia levitate Corinthios fidem habuisse conqueritur : cum autem innocentiam morum profiteatur[5], duobus de causis confidere se contendit, primum ob bonam conscientiam, deinde quod imperator, audito crimine, nihil aliud quam suscensuerit[6] sibi; quod

[1] Cassius Dio, LXIX, 3. Cf. supra, p. 12.
[2] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 1-2. Cf. supra, p. 12 sq.
[3] Id., *ibid.*, I, VIII, 3.
[4] *Orat. Corinth.*, 33.
[5] *Ibid.*, 34.
[6] Emendavit enim μηνῖσαι pro μηνύσαι J. de Arnim, auctore Emperio : quod etsi potius a poetis usurpari solitum esse videtur,

si verum esse credidisset, futurum fuisse ut gravissima poena ipse ab illo afficeretur[1].

Quae cum ita sint, paene omnis tollatur difficultas, quinetiam, nisi fallor, liqueat a Favorino habitam fuisse Corinthiacam orationem, si noverimus ob ejusmodi crimen, in Favorinum ab inimicis, quibus non caruit, illatum, ei suscensuisse Hadrianum, vel potius, cum propter invidiam causas aucuparetur cur eum a sese amoveret, speciosam illam rationem irae suae obtendisse. A vita vero Favorini non abest ejusmodi flagitium, quod, si diligentius legeris Philostratum, etsi id non diserte dixit, tamen artissime cum ira Hadriani conjunctum esse videbitur : neque enim video quomodo potuerit duas res inter se diversas, flagitium et iram, una et eadem sententia memorare, nisi inter se cohaererent[2]. Quod quo planius pateat, ipsa Philostrati verba describere operae pretium est : (Quanquam ambiguo sexu erat et eunuchi speciem referebat) « tanta nihilo minus, inquit, venerearum rerum cupidine flagrabat ut adulterii reus a consulari viro fieret ; cum autem controversia ei cum Hadriano

tamen vocabulo μηνύσαι praeferendum est, tanquam absurdo. Sed ne sic quidem infitiandum est sententiam esse subobscuram.

[1] *Orat. Corinth.*, 7.

[2] Cur autem ejusdem Hadriani odium in Dionysium Milesium non memoraverit Philostratus (cf. supra, p. 12, adn. 4), sed tantum honores quibus ab imperatore auctus fuerit, hoc mihi praecipue in causa esse videtur quod nullam in illo quidem similem causam invenit Hadrianus quam invidiae suae obtenderet : « Hadrianus eum equestri ordini adscripsit atque eis qui in musaeo alebantur.... Licet autem plurimas urbes adiisset...., tamen nunquam libidinis reprehensionem incurrit. » (Philostratus, *V. S.*, I, XXII, 5.)

orta esset, nihil gravius passus est[1] ». Quinetiam ipse Favorinus crimen et iram simul memorabat — et illudebat quidem ; — non enim id tantum in sua vita mirum esse dictitabat, quod, cum Gallus esset, Graece loqueretur, sed etiam quod et eunuchus adulterii reus factus esset et ab imperatore alienatus salvus evasisset[2]. Quod crimen non hercle ita irrisisset, si verum fuisse confiteretur : non aliter Corinthiacae auctor innocentiam morum professus est[3].

Aliud quoque Favorino cum illo commune est. Namque Favorinus adeo non permotus est ira Atheniensium ut facete etiam nuntium eversae statuae acciperet. « Bene, inquit, cum Socrate quoque actum esset, si aenea statua potius privatus ab Atheniensibus fuisset quam bibere cicutam coactus[4]. » Quod non faceti tantum hominis, sed etiam philosophi est. Neque vero multo magis indignatus est Corinthiacae auctor, sed et ipse non sine ludibrio Corinthiorum contumeliam despexit. Quinetiam eandem utrimque sententiam deprehendo, illic brevius expressam, hic longius diductam, nihil momenti habere opprobria quae sensu carentem statuam, non hominem ipsum afficiant[5]. Quod profecto non mirum est, siquidem unus et idem vir Atheniensium et Corinthiorum con-

[1] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 1.
[2] Id., *ibid.* Cf. supra, p. 7, adn. 5, 6, 9.
[3] *Orat. Corinth.*, 34.
[4] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 3.
[5] Cf. Philostr., *ibid.* et *Orat. Corinth.*, 37 sqq., praesertim 45 : πτίσσε, πτίσσ', ἔφη, τὸν 'Αναξάρχου θύλακον · 'Ανάξαρχον γὰρ οὐ πτίσσεις. Cf. Diog. L., IX, 59.

tumelias despexit. Nec vero illud praetermittendum quod auctor quoque Corinthiacae orationis Socratis exemplum protulit, tanquam ob falsum crimen capitis damnati[1]. Denique nonnihil cognationis jure mihi videor deprehendere inter orationis Corinthiacae locum quendam et Favorini fragmentum quoddam a Diogene Laertio servatum[2] :

Oratio Corinthiaca, 41 : Οἶδα δ'ἐγὼ..... καὶ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως πεντακοσίους ἀνδριάντας καὶ χιλίους ὑπὸ Ἀθηναίων μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ πάντας καθῃρημένους· ἐτόλμησαν δὲ καὶ Φιλίππου τοῦ βασιλέως ἀμίδας κατασκεδάσαι. Ἀθηναῖοι μὲν οὖν τῆς εἰκόνος οὖρον κατέχεον, ἐκεῖνος δὲ τῆς πόλεως αἷμα καὶ τέφραν καὶ κονίαν.

Diogenes Laertius, V, 77 (fr. 35 M.) : Οὐ μὴν ἐκυρίευσαν τοῦ σώματος αὐτοῦ (Δημητρίου τοῦ Φαληρέως), ἀλλὰ τὸν ἰὸν ἀπήρυγον εἰς τὸν χαλκὸν, κατασπάσαντες αὐτοῦ τὰς εἰκόνας, καὶ τὰς μὲν ἀποδόμενοι, τὰς δὲ βυθίσαντες, τὰς δὲ κατακόψαντες εἰς ἀμίδας· λέγεται γὰρ καὶ τοῦτο.... Φαβωρῖνος δέ φησιν ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ τοῦτο ποιῆσαι τοὺς Ἀθηναίους Δημητρίου κελεύσαντος τοῦ βασιλέως[3].

Ac, ne forte mireris cur Atheniensium levitatem atque iniquitatem breviter irridere satis habuerit

[1] *Orat. Corinth.*, 32.

[2] Nonnulla alia, leviora quidem, inter Corinthiacae orationis auctorem et Favorinum communia, stringuntur a Maassio, *op. laud.*, p. 135 sqq.

[3] Wilamowitzius (*Antigonos von Karystos*, *Philol. Unters.*, Heft IV, p. 46, adn. 2) opinatur non modo tenuem hanc rem, novissime a Diogene memoratam, sed totam sectionem 77 e Favorino manare : neque enim nisi frigidum rhetorem potuisse dicere, videlicet quia aspidis morsu interiit Demetrius Phalereus, Athenienses venenum suum in aes eructavisse. Nec vero dubium est quin totus hic locus rhetoricum quiddam sonet et sophistam redoleat.

Favorinus, idem Corinthiorum contumeliae disertius responderit, intellegebat, ut opinor, Athenienses, vel potius magistratus Atheniensium non tam ipsius criminis rationem habuisse quam Hadriano assentari voluisse, quod deforme obsequium ad summum cavillatione dignum esse censebat; cum autem a Corinthiis ipsum flagitii crimen prolatum esset, tum vero diligentius redarguendum esse ei visum est. Nec vero illud mirum quod nulla a Philostrato Corinthiorum mentio facta est, siquidem Athenis sermones qui de Favorino serebantur audivit[1]. Athenienses enim, ut opinor, minus laborabant quid Corinthii agerent neque ad eorum notitiam pervenerat Corinthiaca oratio. Qui fit autem ut illa posterius Dionis orationibus inserta sit? Ejus quoque rei ratio reddi potest. Nam primum a parum sagaci homine Dionis opera in unum corpus congesta esse constat, in quod aliae quoque spuriae orationes admissae sunt. Rursus ipsi Favorino itemque Dionysio Milesio spurias orationes adscriptas fuisse testatur Philostratus[2]. Adde quod, cum inter Dionem et Favorinum, qui Dionis discipulus fuisse ferebatur[3], tum inter Rhodiacam et Corinthiacam orationem commune quiddam intercedebat[4]. Minime igitur mirum est si discipuli oratio cum oratione magistri conjuncta est, cum uterque de statuis disseruisset.

[1] Cf. supra, p. 21 sq.

[2] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 6; I, XXII, 5.

[3] Id., *ibid.*, I, VIII, 3 et 7: quanquam dixit Philostratus multum a Dione distare Favorinum. Cf. supra, p. 8.

[4] Cf. Photium, *Bibl.*, cod. 209, p. 166^b ed. Bekker.

Quibus de causis Emperii argumentatio, temere ac leviter a Marresio impugnata [1], haud secus mihi stare videtur; atque etiam confidentius quam ipse Emperius, qui singulari et admodum laudanda verecundia opinionem suam defendit [2], Favorino Corinthiacam adjudicaverim, quanquam, ut recte confessus est, illius, etsi haud ignobilis scriptoris, nulla tamen, ad quae Corinthiaca exigatur, ingenii monumenta exstant. Ipsum vero illud praecipuum habet pretium ea oratio; nam si eam ipsam aestimaveris, nullo modo Casaubonem probaveris qui negat usquam vel facundiorem vel vehementiorem fuisse Dionem, ut merito inter eximias ejus orationes haec censa sit a Photio. Rectius autem Emperius judicavit eam umbratili eruditione scatere et inepta doctrinae ostentatione, diligentius narratis etiam eis quae ad propositum nihil pertinent, et plane traxisse eum sophisticum colorem quem Hadriani aetatis indicium esse pronuntiavit. Quod copiose confirmavit Norden, accuratius inspectis et moribus oratoris, quales oratione declarantur, et dicendi ratione verborumque compositione ac numeris [3].

[1] Marres, *op. laud.*, p. 92 sqq. Argumentorum Marresii levitas haud aegre, quanta satis erat brevitate, demonstrata est a Maassio, *op. laud.*, p. 134 sq.

[2] « Quod si mihi hactenus cesserit, inquit, ut aliquam veri speciem conjecturae meae conciliem, egregie mecum actum existimabo. »

[3] E. Norden, *Die antike Kunstprosa*, p. 422 sqq.

CAPUT TERTIUM

De Favorino philosopho.

Gravem injuriam Favorino inferat si quis nihil interesse eum inter et Polemonem vel Frontonem arbitretur et meris sophistis eum adnumeret, quem Philostratus una cum Dione Prusaeensi et quibusdam aliis, tanquam philosophiam professum, e sophistarum grege exceperit et praeposuerit[1]. Ipsum vero constat vulgo asseruisse sibi philosophi nomen. Nam, cum pontifex domi renuntiatus esset, ad principem rite provocasse fertur, ut qui immunis esset a publicis muneribus, quia philosophiam exerceret[2]. Idem, cum jactantiorem quendam grammaticum ignorantiae coargueret, dixit ejusmodi res scire non ex sua magis esse philosophia quam ex grammatica ejus, sed, cum philosophiae se dedisset, non insuper tamen habuisse

[1] Philostratus, *V. S.*, I, praef., in fine ; I, VIII, 1 et 7.
[2] Id., *ibid.*, I, VIII, 3. Cf supra, p. 12.

se discere[1]. Quod philosophi nomen Hadrianus[2] quidem et Demonax[3] et postea Lucianus[4] atque alii[5] denegasse ei videntur; Domitius autem, haud spernendus, quamvis truculentus, grammaticus, praesente Gellio, philosophorum illustrissimis adnumerabat eum[6], et Caecilius, doctissimus jurisconsultus, virum sapientiae studiosissimum salutabat[7]; ipse vero Gellius Favorinum, fere quotiens inducit, philosophum appellare solet, ita ut cognomen illud nomini ejus haerere videatur[8]. Quod si reputaveris eum Romae[9] primum, cum jam senesceret, Gellii fuisse magistrum, forsitan haud inepte conjeceris, ubi e Graecia Asiaque rediit, a sophistarum arte, quam potissimum illic coluerat, paulatim ad philosophiam transmigrasse. Quanquam enim apud Romanos quoque floruerunt recitationes declamationesque, tamen nescio quid gravius eorum ingeniis inerat quam Graecis illis qui facultatem ex tempore dicendi pluris quam consulatum faciebant[10]. Quare, licet certamen cum Polemone in Asia institutum ne Romae quidem intermiserit, — propter quod jure sophista a quibusdam appellatus esse Philostrato videtur[11], — tamen non mirum est si magis magis-

1 Gellius, *N. A.*, IV, I, 14 et 18.
2 Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 3.
3 Lucianus, *Demonax*, XII.
4 Id., *Eunuchus*, VII.
5 Id., *ibid.*, VII; Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 5.
6 Gellius, *N. A.*, XVIII, VII, 1.
7 Id., *ibid.*, XX, I, 8.
8 Vid., ex. gr., *ibid.*, XIV, II, 11.
9 Id., *ibid.*, XIV, II, 11.
10 Philostratus, *V. S.*, I, XXV, 13.
11 Id., *ibid.*, I, VIII, 5. Cf. supra, p. 18.

que, praesertim mortuo Hadriano et T. Antonino imperatore, ad graviora studia conversus est[1]. Nam non solum, quod dixit Horatius, lenire solet albescens animos capillus[2], et provecta aetate moris est, quod idem fecit Horatius, « abjectis nugis sapere et tempestivum pueris concedere ludum[3] », sed etiam ipso commercio adulescentium eorum, scientiae avidorum, qui eum assidue sectabantur, impellebatur ut utilia tandem potius quam jucunda auditu quaereret.

Re autem vera non adeo indignum graviore illo philosophi nomine Favorinum fuisse ex multis Gellii locis intellegere licet. Nam primum, quod profecto non commune illi cum sophistarum plerisque est, eam praecipuam videtur duxisse orationis laudem si ratione et ordine procederet, nec fumum ex fulgore, sed ante omnia daret lucem. Ac — ne repetam supra laudatas declamationes[4], in quibus perquam lucido ordine dispositam esse amplissimam argumentorum

[1] Ita, ut opinor, ejus rei ratio reddi potest quod a Cassio Dione, qui eum cum Hadriano simultates exercuisse rettulit, sophista appellatus est (LXIX, 3), Gellius autem hoc nomen eo indignum esse existimabat (*N. A.*, XVIII, XII, 1).

[2] Horatius, *Carmina*, III, XIV, 25.

[3] Id., *Epistulae*, II, II, 141. Proferendum est Luciani quoque exemplum, quem narrante ipso (*Bis accusatus*, XXXII), novimus, ubi per orbem vagari destitit (cf. supra, p. 4) et Athenis sedem constituit, jam conversis studiis, rhetoricam repudiasse. Cf. M. Croiset, *Essai sur Lucien*, p. 23-24, et S. Chabert, *L'Atticisme de Lucien*, p. 48 sqq. Sed multo etiam insignius est Dionis exemplum (*Orat.* XIII, 12, p. 424 R.; cf. C. Martha, *Les Moralistes sous l'Empire Romain*, p. 241).

[4] Gellius, *N. A.*, XII, I, et XIV, I. Cf. supra, p. 19.

copiam vel primo statim adspectu patet, praesertim in ea quae ex tempore effusa fuisse videtur, — etiam cum de eis rebus disserebat quae maxime alienae a philosophia existimari solent, nunquam illo philosophi ingenio destituebatur. Cum enim apud mensam ejus iapygis mentio forte incidisset, et, rogantibus convivis ut ceterorum quoque ventorum nomina regionesque docere sese vellet, subito de ea re fabulari instituisset, emissis omnibus ventis eque diversissimis regionibus caeli spirantibus, nullo modo trepidavit neque ullo tempore per tenebras erravit, sed, more nautae ministrandi vela periti, certa ratione processit, ita ut non ventis rapi, sed ipse ventos regere videretur[1]. Neque vero pejore ratione docuit non idem significare *praedam* et *manubias*, quod quidem credebat sectatorum aliquis : primum enim lucide demonstravit duo haec verba non potuisse, inani et frigida geminatione, a Cicerone duobus in locis usurpari, ubi neque ornatiorem modulatioremve, ut alioqui solet, redderent orationem, neque « speciosam aliquam exaggerationem » facerent qua instantior fieret admonitio vel objurgatio : tum demum, producta varia exemplorum copia, ita aperuit peculiarem utriusque verbi vim ut nemo non in sententiam ejus necessario concederet[2]. Denique grammaticum illum, qui sese omnibus doctiorem existimabat[3], ipsa So-

[1] Gellius, *N. A.*, II, XXII.
[2] Id., *ibid.*, XIII, XXV (Hertz).
[3] Cf. supra, p. 35.

cratis methodo[1] optime usus, confiteri coegit nescire se quod ipse alios docere voluisset, quid *penus* significaret ; ac, dum eum interrogare se simulat, docuit non definire potuisse verbum illud neque circumscribere, ut solet, *genere proposito et differentiis appositis*[2], ita ut ostentator ille cum *philosopho* rem sese habuisse agnosceret[3].

Jam vero id ipsum quod in significatione verborum expendenda magnam diligentiam adhibebat multo magis philosophi quam sophistae est. Nam, si Frontoni credas, quo vix quemquam peritiorem sophistarum artis reperias, « qui se in ejusmodi rebus scribendis exercebit (sc. in quibus rhetores elaborare solent), crebras sententias conquiret easque dense collocabit et subtiliter conjunget ; ....tum omnem sententiam breviter et scite concludet......, » eniteturque ut « ne quid inconcinnum vel hiulcum relinquatur[4] ». Favorinus autem, si ejus sermonibus a Gellio relatis aurem praebere libet, nunquam discipulos hortabatur ut difficilia inventu et qualia non alius dixisset fingerent aut orationem subtilibus sententiolis ornarent vel potius detornarent aut verba anxiose quaererent quibus aures jucundissime permulcerentur, sed proprie et signate dicerent quod sentirent, ut, quemadmodum corpori vestis, sic verba apte rebus cohaererent. Ipse dixit ideo se

[1] Cf. R. Hirzel, *Der Dialog,* II, p. 121.

[2] Gellius, *N. A.*, IV, I, 1-13.

[3] Id., *ibid.*, IV, I, 13. Vide etiam XVIII, I, 12, ubi ille « sophista » philosophorum sophismata refellit. Cf. V, XI, 8 sqq.

[4] Fronto, ed. Niebuhr p. 254; p. 211 ed. Naber.

grammaticam non neglexisse, « ne res cotidiani usus, tanquam qui in venalibus loqui coeptarent, alia quam oportet voce appellaret[1] », « quoniam civibus Romanis Latine loquentibus rem non suo vocabulo demonstrare non minus turpe esset quam hominem non suo nomine appellare[2] ». Certe nullo alio consilio grammaticas res tractantem eum apud Gellium deprehenderis. Quod adeo non abhorret a philosophia ut stoici ejusmodi res penitus perscrutati sint, et Epictetus, auctorem Socratem Platonemque secutus, a circumscribendis vocabulis incipere philosophiam contenderet[3]. Inepte igitur Domitius ille grammaticus, a Favorino interrogatus quonam optime Latino vocabulo δημηγορία redderetur, exclamabat nullam prorsus bonae salutis spem reliquam esse et periclitari philosophiam quia philosophi verba auctoritatesque verborum cordi haberent[4]. Neque vero solum ipse inutilia et minus apta et ambitiosa verba fugiebat, sed etiam apud clarissimos scriptores si quando deprehendebat, nulla religione revinctus insectabatur. Male enim reddidisse Vergilium existimabat ea Pindari carmina quibus Aetnam descripsit, quod « Pindarus, veritati magis obsecutus, id dixisset quod res esset quodque istic usu veniret quodque oculis videretur, interdius fumare Aetnam, noctu flammigare », Vergilius autem, quo magis streperent versus,

[1] Gellius, *N. A.*, IV, I, 6 et 18.
[2] Id., *ibid.*, IV, I, 18.
[3] Epicteti *Dissertationes,* I, XVII, 12 ; II, XIV, 14 ; II, XVII, 14.
[4] Gellius, *N. A.*, XVIII, VII, 3.

« utrumque tempus, nulla discretione facta, confudisset », atque alia quoque, dum aemulari cum Pindaro conatur, « crasse et immodice » congessisset ac « vacanter atque inaniter » accumulasset[1]. Qui ne Vergilio quidem licere arbitrabatur in sonitu strepituque verborum conquirendo laborare ac poetis non modo mediocribus esse, sed etiam a veritate discedere concessum esse negabat, non mirum est si idem acerbe atque inclementer irrisit juvenem quendam « veterum verborum cupidissimum et plerasque voces nimis priscas et ignotas in cotidianis communibusque sermonibus expromentem », et facete hortatus est, si scire atque intellegere neminem vellet quae ipse diceret, ut potius taceret : sic enim certius et facilius quod sibi proponeret consecuturum[2]. Quod quidem commune erat vitium ejus aetatis hominum, qui vulgaria dicendi genera tanquam sordida respuebant et exquisitius quiddam requirebant[3] : nam vetera et obsoleta usurpare, ea quoque nova dicendi ratio est. Favorinus autem, cum perversum

[1] Gellius, *N. A.*, XVII, x. Arbitrabatur autem ultimam limam eis versibus defuisse, et, nisi mors praevertisset, retractaturum eos fuisse Vergilium, subtilissimi ingenii virum (Id., *ibid.*, XVIII, x, 8). Idem non putabat M. Tullium, verborum hominem diligentissimum, inani et illepida geminatione juncturum fuisse *manubias* et *praedam*, si duo haec verba idem significarent neque ulla re dissiderent (Id., *ibid.*, XIII, xxv, 4 ; cf. supra, p. 38). Neque vero credebat a Sallustio, subtilissimo brevitatis artifice, circumlocutione quadam poetica potuisse dici avaritiam *corpus animumque* virilem effeminare, si tantum dicere voluisset *hominem* avaritia corrumpi (Id., *ibid* , III, i, 5).

[2] Id., *ibid.*, I, x ; cf. VIII, xiv, lemm.

[3] Cf. J. Brenous, *De Phrynicho atticista*, p. 66 sq.

et absurdum et ambitiosum judicaret illum aequalium Euandri amorem[1], honestos quidem mores ab antiquioribus mutuandos censebat, verbis vero suae cuique aetatis, ut ipsi fecissent, plane ac dilucide loquendum[2]. Non quod sibi interdictum putaret quominus vehementer admiraretur narrationem quandam, qua Q. Claudius Quadrigarius Manlii Torquati et hostis Galli provocantis pugnam depinxit, sed ideo tantum quia simplici et incompta suavitate descripta esset : quam cum legeret, eisdem motibus affici sese dicebat quasi ipse coram homines depugnantes spectaret[3]. Ergo veritati ante omnia consulendum existimabat ; inauditum autem atque insolens verbum tanquam scopulum fugiendum[4]. Eadem ratione arcessitas et moleste confabricatas vocabulorum origines respuebat[5], necnon et nimia subtilitate ingenioque a grammaticis excogitatas poetarum interpretationes[6], cum *simplicius* aliquid *veriusque* suppeditaret[7]. Quid quod lepidissime deridebat ostentatores eos qui eruditorum famam captabant[8], et garrulos

[1] Cf. Lucian., *Demonax,* XXVI.

[2] Gellius, *N. A.,* I, x.

[3] Id., *ibid.*, IX, xiii, 5. Eum apud veteres auctores non infrequentia, sed veritate verborum delectari id quoque argumento est, quod, inter omnia quae Fronto peritissime de coloribus dixit, hoc maxime libens audivit quod varietatem quandam flavi coloris ita ille enarraverat ut jam lucidus et verus fieret Ennii versus quidam, ubi non antea videbatur caeruleum mare cum marmore flavo convenire (Id., *ibid.*, II, xxvi, 21-22).

[4] Id., *ibid.*, I, x, 4.

[5] Id., *ibid.*, III, xix, 3.

[6] Id., *ibid.*, III, xvi, 16-17.

[7] Id., *ibid.*, III, xix, 5.

[8] Id., *ibid.*, IV, i, 4 (cf. IV, i, 19 « non per ostentationem »).

ita oderat ut eis, joci causa, mortem minaretur? Versus enim quosdam, quibus Euripides ἀχάλινα στόματα calamitati deberi dixerat, non de impiis tantum accipiendos profitebatur, « sed vel maxime de hominibus quoque immodica blaterantibus, quorum lingua tam prodiga infrenisque esset ut flueret semper et aestuaret colluvione verborum teterrima[1] ». Quae vehemens insectatio optime cadit in eum rhetorum gregem qui tum Graeciam et Asiam concelebrabant. Quantum mutatus ab illo Favorino qui apud Hadrianum summa gratia valuisse dicitur juxta ac rhetores, musici, geometrae, astrologi[2], quem Philostratus rettulit garrulitatis laudes conscripsisse[3], quem Timocrates garrulum appellabat[4], quem Polemo anum increpabat, cum propter alias causas, tum propter ineptam loquacitatem[5]! Ergo credendum est eum procedentibus annis resipuisse et ad bonam frugem sese recepisse.

Quod planius patebit considerantibus nobis non modo quo dicendi genere ipse usus sit quodque et apud scriptores probaverit et juvenibus assumendum existimaverit, verum etiam, quod majus est, quas

Quod apud mensam eruditius de ventis disseruit, non sponte hoc fecit, sed rogantibus convivis obsecutus est; mox tamen substitit, ne fieret ἀκρόασις ἐπιδεικτική, ratus « in convivio loqui solum unum neque honestum esse neque commodum » (Id., *ibid.*, II, XXII, 25-26).

[1] Id., *ibid.*, I, XV, 17.

[2] Spartianus, *Hadrianus*, XVI ; cf. supra, p. 11 sq.

[3] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 6 ; cf. supra, p. 19.

[4] Id., *ibid.*, I, XXV, 23 ; cf. supra, p. 21.

[5] Id., *ibid.*, I, XXV, 23 ; cf. supra, p. 7 et p. 21, adn. 4.

res potissimum tractare soleret. Nam, quanquam et a Galeno accepimus[1] et ipsi *Noctes Atticas* evolventes facile deprehendimus de qualibet re eum perite ac scite potuisse disserere, tamen nihil majori ei fuit curae quam quae ad mores pertinebant. Ut enim dubito num librorum multitudine cum Plutarcho aemulari voluerit[2], ita aequum est eum earundem rerum fuisse studiosum[3]. Non igitur intempestive modo, sed immerito quoque grammaticus Domitius, impetu magis animi impulsus quam quia ita censeret, exclamabat eum nihil aliud quam verba cordi habere[4]; et longe rectius dixit Gellius « sermones communes a rebus parvis et frigidis eum abducere solitum ad ea quae magis utile esset audire ac discere[5] ».

[1] Galenus, *De praecogn.*, V.

[2] Suidas, *Lex.*, s. v. Φαβωρῖνος ; cf. supra, p. 6, n. 1.

[3] Γνωμολογικά scripsisse fertur a Suida. Ad quae pertinuisse suspicatur Marresius *(op. laud.*, p. 91) nonnullas sententias (fr. 103-104), magnam partem a Stobaeo traditas. Num vero huc pertineant fr. 107-108-109 dubitari potest ; fr. 109 (Stob., *Flor.*, CV, 62) potius e declamatione quadam videtur excerptum.

Viginti duae sententiae, in Parisino quodam codice Favorini nomine signatae, a Freudenthalio *(Rhein. Mus.*, XXXV, N. F., p. 408 sqq.: *Zu Phavorinus und der mittelalterlichen Florilegienlitteratur)* editae sunt. Sed sententiae 21-22 (= fr. 105 et 70 M.) e Stobaei Florilegio (XIV, 12 ; CXV, 24) manant ; sententia 22 ex libro Favorini Περὶ γήρως excerpta esse videtur (cf. infra, p. 49, adn. 5, et Freudenthal, p. 422). Sententias 12-20 admodum alienas a Favorino esse dilucide demonstravit Freudenthalius, sed Diogeni Laertio restituendas (p. 422 sqq.). Denique sententiae 1-11 forsitan ad Γνωμολογικά Favorini pertinuerint ; ibi vero memorantur, ne ullo quidem ordine, non ipsius Favorini γνῶμαι, sed veterum Sapientium jam alioqui nota, dicta (1-5-9 = fr. 113-114-111 M. ; 2-3-8 apud Laertium exstant). Cf. quae infra de *Memorabilibus* dicta sunt, cap. v.

[4] Gellius, *N. A.*, XVIII, vii, 3.

[5] Id., *ibid.*, IV, i, 19.

Quod etiam multo magis philosophum quam rhetorem decere videbitur, si modo in mentem venerit ejus loci quo Epictetus abunde demonstravit rhetorem plausus adulescentium facundia et munera blandis commenticiisque laudibus captare, philosophum autem nihil aliud quam utilitati discipulorum consulere[1]. Certe facile est nobis *Noctes Atticas* legentibus intellegere quo pacto quemvis sermonem ad praecepta moribus utilia converteret. Forte enim quadam die de dijunctivis syllogismis sermo habebatur et mentio facta erat syllogismi illius quo Bias, facetius quam verius, docuit utique coelibem vitam complectendam neque ullo modo uxorem ducendam, sive pulchra sive deformis futura esset : eum enim qui uxorem duceret « necesse esse ex duobus incommodis pati alterum, ut aut κοινήν haberet aut ποινήν »; tum, cum ceteri id tantummodo quaererent, num converti posset ille syllogismus, Favorinus sapientissime respondit tertium quoque esse medium, cujus rationem Bias non habuisset: « inter enim pulcherrimam feminam et deformissimam esse mediam formam quandam, modicam modestamque, quae et a nimiae pulchritudinis periculo et a summae deformitatis odio vacaret », quam scite appellabat uxoriam, utpote quae, quia eam fere pudicitia sequeretur, maritis suspecta esse non posset[2]. Simili ratione, quo die a Domitio, quem super gramma-

[1] Epicteti *Dissertationes*, II, XXIII, *passim*.
[2] Gellius, *N. A.*, V, XI.

matica arte interrogaverat, asperius exceptus est, circumstantibus adulescentibus dixit, nihil commotus, « intemperiem istam quae melancholia dicitur non parvis neque abjectis ingeniis accidere, sed esse quodam modo heroicum veritates plerumque fortiter dicere, etiam cum neque temporis neque modi ratio haberetur[1] ». Denique, cum de Solonis legibus amici confabularentur et admirarentur quidam quam ob causam dignos esse poena eos existimasset qui se procul a seditionibus et civilibus pugnis removissent, non inepte Favorinus inter fratres quoque dissidentes censebat amicorum alteris in alteram partem discedendum, « ut viam sibi ad utriusque concordiam munirent » : eos enim qui in medio essent parum auctoritatis, quasi ambiguos amicos, habere. « Nunc autem plerique partis utriusque amici, quasi probe faciant, duos litigantes relinquunt deduntque advocatis malivolis aut avaris[2]. » Non igitur mirum est si, cum Sex. Caecilius jurisconsultus decemvirales leges « eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas esse diceret », Favorinus non quo genere scripta essent respexit, sed illud potius in eis deprehendit, durissima esse nonnulla aut lenia contra nimis et remissa; velut ea lex quae membra inopis debitoris, « si unus judicatus addictusque esset pluri-

[1] Gellius, *N. A.*, XVIII, vii, 4. Cf. Molière, *Misanthrope,* IV, i, v. 1165 :

> Et la sincérité dont son âme se pique
> A quelque chose en soi de noble et d'héroïque.

[2] Id., *ibid.*, II, 12.

bus », distrahi jubebat, « immanis et efferata et prorsus ab hominis ingenio diversa » ei videbatur[1]. Qui de veteribus legibus ita judicaverat, eundem Gellius, qui ei sermoni interfuerat, de judicis officiis scite et recte judicare posse postea arbitratus est. Cum enim, vir factus, « a praetoribus lectus in judices esset, ut judicia quae appellantur privata susciperet », incidit in « inexplicabilem reperiendae sententiae ambiguitatem », ita ut neque condemnare auderet neque adduci posset ad absolvendum. Tum non Caecilium illum adiit, quamvis peritus legum haberetur, sed ad Favorini auctoritatem et consilia confugit[2], cui enarraret qua religione sollicitus cunctaretur eumque simul alia quoque rogaret « quae in officio judicis observanda forent ». Quod optimo est argumento Favorinum non minore studio ejusmodi res tractare solitum quam quae ad rhetoricam grammaticamve artem pertinebant.

Quae cum ita sint, opinor infamibus etiam materiis, eis quidem de quibus non in Graecia sed Romae declamavit quaeque a Gellio, non a Philostrato memoratae sunt, philosophiam quandam eum inseruisse. Primum enim Gellius eum non ostentandi ingenii causa, sed expergificandi tractasse illas dixit, et diserte addidit ejusmodi materias non sophistas modo, sed philosophos quoque esse adortos[3]. Quod nescio an

[1] Gellius, *N. A.*, XX, I, 4 et 19.
[2] Id., *ibid.*, XIV, II, 11. Cf. XIV, II, 24: « Haec mihi tum Favorinus, ut virum *philosophum* decuit, suasit. »
[3] Id., *ibid.*, *N. A.*, XVII, XII, 1. Cum Gellii verbis consentaneum

rectius dixerit quam ipse credidit. Notandum est enim in eis materiis plerumque ejusmodi res laudatas esse quas vulgus, tanquam leves aut injucundas, spernit et odit. Philosophos autem aequum est id fecisse non exercendis argutiis neque edomandis usu difficultatibus, neque vero ob vanam voluptatem a communi sensu diversa asserendi (velut cum Dio demonstrare conatus est nunquam obsessum fuisse Ilium ab Achivis[1]), sed, quod majus utiliusque est, ut et ipsi sese adversus externarum rerum timorem confirmarent et vulgi errores refellerent. Neque enim ludendi causa Lucretius incredibili argumentorum copia demonstravit nequaquam metuendam esse mortem[2]; necnon Socrates, cum jamjam in eo esset ut capitis damnaretur, id non modo malorum pessimum esse negabat, sed fortasse vel optimum bonorum ajebat[3]. Qui autem mortem non timent, non magis timeant necesse est ea leviora quae ejusdem naturae sunt, qualia sunt senectus, dolor, morbus, corporis quaedam imminutio. Dixit etiam Epictetus semper a minoribus rebus incipiendum ut majorum postea dedisceretur timor, et, si quis aure vel capite dolens gemitu temperaret, eum mox ipsum caput aequo animo sibi tolli passurum[4]. Quod quo facilius consequantur, non mirum

est id quod apud Senecae *Controversias* (II, praef., 5 Kiessling) legitur, Papirium Fabianum, cum jam ad philosophiam sese convertisset, non ideo a declamationibus recessisse.

[1] Dio Chrys., *Orat.*, XI.

[2] Lucretius, *D. R. N.*, III.

[3] Plato, *Apol. Socr.*, p. 29 a.

[4] Epicteti *Dissertationes*, I, XVIII, 18; IV, I, 111; *Ench.*, III; XII, 2; XXVI.

est philosophos saepe etiam laudare ea quae male audire solent. Qua de re disertum habemus Ciceronis testimonium : « Sunt, inquit, certa quae de paupertate, certa quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant : separatim certae scholae sunt de exsilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu in quo nomen poni solet calamitatis [1]. » Ipse vero, in eo libro quo mortem non esse timendam demonstravit, caecitatis et surditatis laudes adumbravit [2], et peculiari quodam libello senectutem eamquam plerique aeque ac mortem metuunt jucunditatis esse plenam lepidissime docuit. In qua laudanda multorum unus videtur fuisse [3]. Quos inter Aristonem Cium auctorem secutum se significavit, et propter id ipsum, ut opinor, dixit Catonem suum, quem eruditius disputantem inducturus erat, Graecarum litterarum perstudiosum fuisse in senectute [4]. Favorinus quoque eam materiam adortus est; namque apud Stobaeum exstant quinque fragmenta ἐκ τῶν Φαβωρίνου περὶ γήρως [5]. Nec vero inter titulos modo, sed

[1] Cicero, *Tuscul.,* III, 81.

[2] Id., *ibid.,* V, 111-117.

[3] Exempli causa, fertur Theophrasti περὶ γήρως liber (Diog. L., V, 43), ad quem nescio an redigendum sit frustulum quoddam a Stobaeo *(Flor.,* LII, 15) servatum ; ita quidem opinatur Hensius (*Teletis reliquiae,* p. CI, adn. 1) ; ibi enim de adulescentibus agitur quae comparatio in libris περὶ γήρως videtur saepius fuisse usurpata. Necnon et Demetrii Phalerei fertur ejusdem tituli liber (Diog. L., V, 81). Cf. Musonium apud Stobaeum *(Flor.,* CXVII, 8 : Μουσωνίου ἐκ τοῦ Τί ἄριστον γήρως ἐφόδιον) ; Iuncum apud eundem *(ibid.,* CXVII, 9).

[4] Cicero, *Cato major,* 3.

[5] Stobaeus, *Flor.,* CXV, 17 et 22 ; CXIX, 16 (fr. 67, 68, 71 M.). Ex eodem fonte manasse videntur fr. 69 et 70 M. (Stobaeus, *Flor.,*

etiam inter sententias Ciceronis et Favorini nonnullam similitudinem deprehendere licet[1]. Quod quidem minime mirum est, quando fere nihil non legerat Favorinus et multum in Ciceronis operibus videtur fuisse versatus[2]; nisi forte verisimilius est communibus ex fontibus hausisse ambos. Nam aliud quoque fragmentum quoddam, a Stobaeo servatum cum lemmate Φαβωρίνου, ad librum ejus περὶ γήρως pertinere probabiliter suspicatus est Meinekius[3]; id autem contulit Hensius[4] non modo cum Telete apud Stobaeum : καθάπερ καὶ ἐξ οἰκίας, φησὶν ὁ Βίων[5]....., sed etiam cum Cicerone, *Cato major,* 84; ipse vero ille Aristo Cius, quem secutus esse videtur Tullius[6], a Strabone appellatus est ὁ τοῦ Βορυσθενίτου Βίωνος ζηλώτης[7]. Quattuor alia Favorini fragmenta mihi in

CXV, 23 et 24). Num vero idem Favorinus, eorum sophistarum more qui in utramque partem per lusum disputabant, quam laudaverat senectutem, altera declamatione impugnaverit (cf. Cic., *Tuscul.,* I, 85-86 et Juven., *Sat.*, X, 188-288; Cic., I, 85 = Juv., 258-270; Cic., I, 86 = Juv., 284-288), quod levissime conjecit Marresius (*op. laud.,* p. 85; cf. fr. 72), sane est quod dubitemus.

[1] Cf. Cic., *Cato major,* 66, et Favor. apud Stob., *Flor.,* CXV, 17; Cic., 39 sqq., et Favor., CXV, 22; Cic., 9, 38 et 49-50, et Favor., CXV, 23.

[2] Gellius, *N. A.,* XIII, xxv (xxiv), 4-12 et 22-28. Cf. supra, p. 38.

[3] Stobaeus, *Flor.*, CXVIII, 28 (fr. 112 M.). Cf. Meineke (Stobaei *Flor.*, vol. IV, p. xix) : « P. 98... 18. Φαβωρίνου] ἐκ τῶν περὶ γήρως, ut videtur. »

[4] Hense, *Teletis reliquiae,* p. xcix, adn. 1.

[5] Stobaeus, *Flor.,* I, 98 Hense = V, 67 Mein. (vol. I, p. 127, v. 4 M.; *Teletis reliquiae,* II, p. 10, v. 14 H.).

[6] Hense, *Teletis reliquiae,* p. ci : «...sive ipsius Aristonis liber Ciceroni de senectute scribenti ad manum erat. » Cf. Cic., *De fin.,* V, 13.

[7] Strabo, X, 486. Nec vero mirum est si alius Musonii locus (cf.

memoriam revocant Ciceronis verba supra laudata : « sunt certa quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant » : nam cuncta περὶ ἀναρχίας sive in mediocritate versari videntur atque ex una eademque declamatione fuisse excerpta qua, Gellio teste, docuerat Favorinus multis egere eum qui multa haberet[1]. Declamationum enim suarum nonnullas in libris scriptas reliquisse eum idem Gellius testatur[2].

Neque vero solum senectutis vel mediocritatis susceptum patrocinium ad philosophiam pertinere nemo negaverit, sed ne febris quidem vel Thersitae laudes meros fuisse lusus existimo. Ipsi enim stoici, quos paradoxa non reformidasse cuncti noverunt, talia sese indigna non arbitrabantur. Dixit Epictetus ex eis rebus quas ἀδιάφορα nominabat quasque vulgus mala putare solet utilitatem quandam posse percipi, et sapientem, quasi divina virgula usum, mortem, morbum, contumelias non in aurum, sed in bona

supra, p. 49, adn. 3), ubi agricultura et rus laudata sunt, tanquam optime philosophiae accommodata (Stobaeus, *Flor.*, LVI, 18 = II, p. 337 M.), nonnullam similitudinem cum Cicerone praebet. Solemne enim erat apud cynicos in urbium luxuriem vitiaque invehi.

[1] Stobaeus, *Flor.*, XLIX, 14 et 48; XCIV, 29 ; XCV, 14 (fr. 80-83 M.). Cf. Gell., *N. A.*, IX, VIII, et Fav. ap. Stob., XLIX, 48.

[2] Gellius, *N. A.*, XVII, XII, 2. Declamatio περὶ εὐχῆς (si modo ita recte legitur : cf. Dionis spur. orat. περὶ τύχης, περὶ λύπης?) hoc uno non admodum ignota est quod Phrynichus atticista (p. 244, ed. Lobeck) ibi vocabulum διδοῦσιν fuisse testatur. Marresius (*op. laud.*, p. 86) confert disputationem XI Maximi Tyrii, in qua, cum vulgaria vota ac preces carperet, philosophiam dixit τὸ μόνον εὔχεσθαι ἐπιστάμενον. Ego vero Juvenalis sat. X et Persii sat. II libentius contulerim.

convertere[1]. Idem Epictetus Agrippinum ideo laudandum esse dixit, quod, quamvis egregius foret philosophus, nunquam ipse se laudaret, immo vero, si ab aliquo laudaretur, erubesceret; si quid autem injucundum ei accideret, sive *febris* sive infamia sive exsilium, tum vero illius rei laudes suscipere[2]. Non ergo alienum a philosophia erat quartanae febris laudes conscribere, neque ejusmodi materia, quamvis infamis esset, philosopho indigna erat, cum praesertim Platonis quaedam verba ea ipsa de re rettulisse Favorinum testetur Gellius[3]; quinetiam ea quae Favorinus, Platonem secutus, de febre dixerat alium Platonis locum mihi in memoriam revocant, quo Socrates discipulos docuit voluptatem cum dolore artissime esse conjunctam[4]. Simili consilio verisimile est Favorinum, cum Thersitae laudes quaesivit, deformitatem, immerito spretam, extulisse. Neque enim animum inducere possum ut segnitiem et fugam (nam hujus quoque rei memoriam excitare solet Thersitae nomen[5]) laudasse eum credam et adversus orationem qua Achillis fortitudinem Dio laudaverat[6] potius quam adversus Isocratis *Helenen* declamasse[7]. Certe

[1] Epicteti *Dissertationes*, III, xx.

[2] Id., fragm. 21 Schenkl; fragm. 56 Schweig. = Stobaeus, *Flor.*, VII, 17.

[3] Gellius, *N. A.*, XVII, xii, 3.

[4] Plato, *Phaedo,* p. 60 b.

[5] Epicteti *Dissertationes,* IV, ii, 10 ; III, xxii, 7 ; Diog. L., VII, 160; Diod. Sic., XVI, 87.

[6] Dio Chrys., *Orat.*, LVIII (51 Arnim).

[7] Cf. Epicteti *Dissertationes,* II, xxiii, 32 : τοιοῦτοί εἰσι καὶ οἱ λέγοντες μηδεμίαν εἶναι παραλλαγὴν κάλλους πρὸς αἶσχος. εἶτα ὁμοίως ἦν κινηθῆναι τὸν Θερσίτην ἰδόντα καὶ τὸν Ἀχιλλέα ; ὁμοίως τὴν Ἑλένην καὶ ἣν ἔτυχε γυναῖκα ;

quattuor Favorini fragmenta, rhetoricum quiddam sonantia, e declamatione de vanitate pulchritudinis habita videntur fuisse excerpta[1]. Haud absurde autem contendi potest saepius etiam officere nimiam pulchritudinem[2]. Quid quod, haud ita multo ante, Juvenalis rhetor, qui aliquantum philosophiae declamationibus interdum adspersit, exitiosum quoddam iratorum deorum munus speciosam corporis formam esse dixerat? Quod quo manifestius faceret, non modo fabulosum Hippolyti nomen, sed recentius Silani exemplum, male a Messalina amati, protulerat[3]? Itaque, ut quartana febris, ita ne Thersites quidem despicienda philosopho materia erat.

Quae eo verisimiliora sunt quod in eis Favorini declamationibus quae ferme integrae a Gellio traditae sunt, multum philosophiae deprehendere licet. Hic vero non alienum a re videbitur memorari quomodo matronam quandam docuerit non adhibendas pueris nutrices, sed eas quae peperissent « totas et integras matres » filiorum suorum esse oportere[4]. Primum enim, eo judice, naturae repugnat partum statim natum a se abjicere, et matres quae, ne « pulchritudinis insignia devenustent, fontem illum, generis humani educatorem, arefaciunt et exstinguunt », non multo minus prodigiosae sunt mulieres quam quae fetum ipsum in utero conceptum abigunt[5]. Quod si nemo

[1] Stobaeus, *Flor.*, LXV, 8; LXIV, 26; LXVI, 3 et 6 (fr. 84-87 M.

[2] Cf. supra, p. 45, Biantis jocum de pulcherrima et deformissima femina.

[3] Juvenalis, *Sat.*, X, 324-345.

[4] Gellius, *N. A.*, XII, I, 5.

[5] Id., *ibid.*, XII, I, 6-10.

non multum interesse putat « cujus in corpore cujusque ex sanguine concretus sit » puer, ut corporis atque animi parentis similitudinem reddat, « non secus ad eandem rem lac quoque valet, quod non in hominibus solum, sed in pecudibus quoque animadversum est » : eo autem vecordius est pati matres alieno lacte filios ali quod temere plerumque ac sine ullo discrimine ullove ingenii morumque respectu serva adhiberi solet quae matris vicem obtineat[1]. Denique, quae partum suum ab se ablegavit amoris quoque vinculum resolvit, quo fit ut « ita educatorum liberorum non naturalis jam sit amor, sed civilis tantum atque opinabilis[2] ». Ergo ille qui quondam adulterii reus a viro consulari factus fuerat[3], nunc matronis de educandis liberis sana et prudentissima dat praecepta! Qua quidem de re solliciti antea fuerant gravissimi multi et ingeniosi homines, quos inter Tacitus questus est quod vilissimis servis delegarentur infantes[4]; Plutarchus etiam matres censebat quos in utero gessissent eis primum quoque alimentum praestare oportere[5]. Quid quod, nostrorum majorum memoria, inclytus quoque philosophus (qui nescio an Favorinum auctorem sequeretur, certe Plutarchum, ejus magistrum, vehementer admirabatur) insigni declamatione insectatus est dimidiatas eas

[1] Gellius, *N. A.*, XII, I, 10-18.
[2] Id., *ibid.*, XII, I, 21-24.
[3] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 1.
[4] Tacitus, *Dial. de or.*, XXIX, 1-4. Cf. Juven., *Sat.*, XIV, 44 sqq.; Quintil., *Inst. or.*, I, II, 6-9.
[5] Plutarchus, *De educ. lib.*, V; cf. Gréard, *De la morale de Plutarque,* 3a ed., p. 100.

matres, ut Favorini verbo utar, quae a natura imposita munera deserebant? Atque etiamnunc fabularum scriptores, qui morum censuram affectant, cum ipsi quoque immemores officiorum matres increpant (nam surdis irritas voces misisse videtur J.-J. Rufellus), neque aliis neque certe sapientioribus consiliis utuntur quam quorum Favorinus auctor fuerat. Quis vero sophistam, non philosophum eum esse crediderit qui vel injucunda, dummodo utilia essent, audientibus dixit[1]? Quod adeo intellexit Gellius, quo praesente illa habita fuerant, ut non jam amoenitates tantum verborum nec lepidius dictum quiddam, ut olim, excerperet, sed integras, quantum meminisse potuit, magistri sententias, *communis utilitatis gratia,* referret[2].

Neque vero pejoribus argumentis Favorinus errorem refellebat eorum qui, cum humana omnia caelestium rerum ductu moveri crederent, genethliacorum mendaciis fidem habebant et si qui alii prodigiosis artibus futura omnia dicturos sese pollicebantur. Ac, quanta vi quantaque vehementia in « sycophantas istos » invectus est, miror cur Gellius incertum habuerit utrum « exercendi tantum ingenii gratia » contra eos disseruerit « an quod ita serio judicatoque existimaret[3] », cum praesertim idem sub finem diserte dixerit eum ab astrologis depellere voluisse adulescentes[4]. Qui cum multa et luculenta argumenta protulit quae ne nunc quidem physicorum periti im-

[1] Cf. supra, p. 45 et adn. 1.
[2] Gellius, *N. A.*, XII, I, 24.
[3] Id., *ibid.*, XIV, I, 2.
[4] Id., *ibid.*, XIV, I, 32 et 35.

probaverint, tum et illud memoratu dignum dixit, futurum fuisse ut « homines non λογικὰ ζῷα, sed ludicra et ridenda quaedam neurospasta esse viderentur, si nihil suo arbitrio facerent, sed ducentibus atque aurigantibus stellis[1] ». Nec nullius sapientiae est negare certam futurarum rerum scientiam hominibus esse concessam[2], immo vero ne optandam quidem, sive prospera sive aspera praenuntiarentur[3]. Qui etsi neque primus neque ultimus in eam commenticiam artem invectus est (nam non modo apud Hadrianum, sed apud Tiberium Caesarem auctoritate valuerunt Chaldaei, neque afuerunt a nostrorum regum incunabulis), tamen vel hoc ipso laudandus est quod perpetuum et humanis mentibus paene infixum errorem impugnavit, cum praesertim paucissimi homines illis praecipue aetatibus a superstitione vacarent. Quantum distat, ea quidem de re, ab inclytissimo rhetore Aristide, cujus ad inania credulitas vix credibilis est! Quare haec fuerit nostri judicii summa: sive de ejusmodi rebus sive de educandis infantibus sive de perverso veterum scriptorum studio et imitatione sententiam edebat, sane firmum et minime leve ingenium utique exhibebat; ac, quae non mediocris est laus, communibus erroribus non obsequebatur, sed, ut qui captiosa discutiendi peritus esset[4], vera sentire et dicere ante omnia cogitabat.

[1] Gellius, *N. A.*, XIV, I, 23.
[2] Id., *ibid.*, XIV, I, 6.
[3] Id., *ibid.*, XIV, I, 36. Cf. infra, p. 66 sq.
[4] Id., *ibid.*, XVIII, I; V, XI.

CAPUT QUARTUM

De Favorino Academico.

Philosophi nomine non indignum fuisse Favorinum nobis quidem forsitan satis fuerit; apud veteres autem ei qui se philosophos profitebantur sectae cujusdam disciplinam colebant. Itaque quaerendum est cujus magistri in verba jurare addictus esset.

Qui quanquam Epictetum audivisse videtur, cujus verba quaedam laudavit[1], quanquam etiam nonnullae ejus sententiae stoicum quendam colorem referunt, tamen adeo abhorrebat a stoicis ut adversus Epictetum librum conscripserit: quod a Galeno accepimus, qui Epicteti patrocinium adversus Favorinum sese suscepisse testatur[2]. Multo quidem verisi-

[1] Gellius, *N. A.*, XVII, XIX, 1 et 5; cf. supra, p. 5.

[2] Galenus, *De opt. doctr.*, I; I, 41 K.; *De libr. propr.*, XI; XIX, 44 K.

milius Pyrrhoniis quidam adscribendum esse eum arbitrati sunt, quia Philostratus rettulit ejus operum quae ad philosophiam pertinerent praestantissima esse Pyrrhonia[1]; clarius ac disertius dixerat Gellius de Pyrrhoniorum disciplina Favorinum subtilissime atque argutissime decem libros composuisse, quos Πυρρωνείων τρόπων inscripsisset[2]. At nullo loco neque Philostratus neque Gellius dixit Aenesidemi placitis, quem primum de Pyrrhoniis tropis scripsisse librum et recentiorum σκεπτικῶν esse ducem ferme constat, assensum esse Favorinum. Si quis autem Academiae eum vindicaverit, propius, ut opinor, vero accedat. Ipse enim Academicum sese dicebat, vel potius dici patiebatur. Nam primum, cum a jurisconsulto Caecilio interrogatus esset quid de decemviralibus legibus judicaret: « Noli, inquit, ex me quaerere quid ego existimem : scis enim solitum esse me, pro disciplina sectae quam colo, inquirere potius quam decernere[3]. » Quibus verbis quid significaretur facile intellexit Caecilius, qui ita respondit : « Sed quaeso tecum tamen degrediare paulisper curriculis istis disputationum vestrarum Academicis[4]. » Quod ita dici non aequo animo tolerasset, si a Pyrrhoniis stetisset; nam ex quo Aenesidemus ab Academia desciverat, Pyrrhonii confundi sese non patiebantur cum Academicis, tan–

[1] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 6.
[2] Gellius, *N. A.*, XI, V, 5.
[3] Id., *ibid.*, XX, I, 9.
[4] Id., *ibid.*, XX, I, 21. Cf. Lucian., *Eun.*, VII : καί τις Ἀκαδημαϊκὸς εὐνοῦχος ἐκ Κελτῶν, ὀλίγον πρὸ ἡμῶν εὐδοκιμήσας.

quam secum pugnantibus, cum ipsi magis sibi constare se contenderent. Plutarchus etiam, aliquanto ante, Academiae favere Favorinum noverat; nam librum Περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ, Favorino dedicatum, ita ferme concludit, non quidem sine joco : « Haec, Favorine, cum ceterorum placitis *confer :* quae si neque cedere videbuntur *probabilitate,* neque vero multo excellere, opiniones valere jubeto, ratus ad philosophiam magis pertinere in re obscura *cohibere judicium* quam assentire[1]. » Quae omnia, diversarum opinionum collatio sive εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησις[2] et judicii cohibitio sive ἐποχή et probabilitas sive τὸ πιθανόν Academiae propria sunt, adeo ut tantum non totam Academiae disciplinam complectantur.

Quod si Academicorum, id est Arcesilae et praecipue Carneadis placita sectatum esse Favorinum existimamus, quicquid de philosophia ejus traditum est illi disciplinae satis convenit. Ac primum, non recentiorum σκεπτικῶν proprium erat illa, quam sequi se ipse profitebatur, judicii ἐποχή; quippe cujus auctor esset Pyrrho[3], unde Academici non minus quam ipsi Pyrrhonii oriundi erant; quinetiam, si Ciceroni creditur, ab Arcesila, recentioris Academiae parente, in praecepti morem ea redacta est[4]. Arcesilas quoque et

[1] Plutarchus, *De pr. frig.,* XXIII.

[2] Galenus, *De opt. doctr.,* I; I, 40 K. : τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν ἀρίστην εἶναι διδασκαλίαν ὁ Φαβωρῖνός φησιν. Ὀνομάζουσι δ'οὕτως οἱ Ἀκαδημαϊκοὶ καθ'ἣν τοῖς ἀντικειμένοις συναγορεύουσιν.

[3] Siquidem Ascanio Abderitae (apud Diog. L., IX, 61) credimus : τὸ τῆς ἀκαταληψίας καὶ ἐποχῆς εἶδος εἰσαγαγών.

[4] Cicero, *Acad.,* II, 77; cf. II, 59 et I, 45. Cf. etiam Diog. L., IV, 28.

Carneades omnium rerum fidem veritatemque, mixtis confusisque signis veri atque falsi, ita « imprensibilem » (ἀκατάληπτον) videri ajebant ut semper in utramque partem disputari posset. Quod ad Pyrrhonios tropos pertinet, haud equidem infitior non ab eis, sed posterius ab Aenesidemo[1], qui Pyrrhonium, non Academicum sese profitebatur, ad decem tropos redactas esse causas propter quas indicia veri atque falsi satis discerni non possent et cohibendum esset judicium, qua de re postea librum scripsit etiam Favorinus. Procul autem dubio est non res invenisse Aenesidemum, sed jamdudum sine ordine congestas tantummodo in ordinem redegisse[2], quandoquidem, jam multo ante, ipse Plato negaverat ullam sensibus fidem esse adhibendam, quippe quibus indicia cujusque rei et sincerae proprietates percipi non possent[3]. Certe magnam exemplorum copiam ea de re a Carneade fuisse prolatam apud Ciceronem deprehendere licet. Quae vero Carneades temere ac sine ordine dixerat, utpote qui extemporali plerumque oratione uteretur, quid mirum si ea non Aenesidemus modo, verum etiam Favorinus, quem novimus ordinis fuisse studiosum, ratione ac diligenter redegit, adjunctis, ut par erat, novis et propriis exemplis? Quinetiam

[1] Diog. L., IX, 87; Aristocles (apud Euseb., *Praep. ev.*, XIV, XVIII, 11); Sex. Empiricus, *M.*, VII, 345.

[2] Vid. V. Brochard, *Scept. Grecs*, p. 57.

[3] Id., *ibid.*, p. 117 : « Platon n'apparaît jamais à Cicéron que comme un sceptique; il ne voit en lui que l'homme qui discutait sur toutes les opinions, sans se prononcer sur aucune. » Cf. Cic., *Acad.*, I, 46; *De orat.*, III, 67.

meliore ordine usus esse videtur quam quo Aenesidemus usus erat[1]. Aenesidemi ordinem tradidit Sextus Empiricus[2], quanquam intellegebat meliorem posse adhiberi : forsitan noverit ordinem Favorini, sed tanquam Academici, adhibere noluerit. Eum autem Diogenes Laertius et tradidit[3] et tantum non ipse adhibuit, alium, credo, auctorem secutus[4], unde id quidem colligi potest, multos philosophos materiam eam tractasse[5].

Qui vero Pyrrhonios tropos tractabant atque probabant μηδὲν εἶναι καταληπτόν, sed cohibendum esse rebantur judicium, quomodo non discreparent a stoicis, qui crederent per sensus verum posse percipi? Quare, quemadmodum Zenonem Arcesilas et Chrysippum Antipatrumque Carneades vehementer et assidue ea de re insectatus est, sic non est quod miremur in Epictetum invectum esse[6] Favorinum in quodam

[1] Diog. L., IX, 87.

[2] Sex. Empiricus, *P.*, I, 36 sqq.

[3] Diog. L., IX, 87.

[4] Quem Zeller (*Ph. d. Gr.*, III³, II, p. 12, adn. 1 in fine) opinabatur fuisse Saturninum.

[5] Cf. Marres, *op. laud.*, p. 89 : « Plutarchum quoque, quem quidem Pyrrhoniis annumeraverit nemo, cum in aliis libris de horum doctrina disseruisse, tum scripsisse commentarium περὶ τοῦ Πύρρωνος δέκα τρόπων, ex indice ejus librorum videmus (Fabric., *Bibl. Gr.*, V, p. 169 ed. Harl.). »

[6] Schenkl (*Epicteti Dissert.*, praef., p. X) dubitat utrum vivo an mortuo Epicteto illudere conatus sit : certe Epictetus ipse non minore vi et ludibrio Academicos et Pyrrhonios quam Epicureos adortus est, praecipue quia negarent ullam sensibus fidem posse adhiberi : Academicos nunc singulares aggreditur (II, XX), nunc una cum Pyrrhoniis (I, XXVII, 2 et 15), quasi nullo modo inter se discrepent.

libro, ubi Onesimum, Plutarchi servum[1], cum Epicteto colloquentem induxerat[2]. Qua de re maxime inter se discreparent suspicari licet, si reputamus aliud Favorini opus Περὶ τῆς καταληπτικῆς φαντασίας fuisse inscriptum, cujus tres libri Drysoni et Hadriano et Aristarcho dedicati erant[3]. Contendebant enim Zeno et Chrysippus comprehensibili quadam φαντασίᾳ verum posse percipi, quae penitus a falsa differret[4]; negabant vero Arcesilas[5] et Carneades, aeque ac Pyrrhonii, quicquam posse comprehendi veramque imaginem necessario a falsa differre : in hoc autem libro, si Galeno credimus, Favorinus quoque acriter demonstrare conabatur nullam esse καταληπτικὴν φαντασίαν. Idem in *Alcibiade* dicebat probabile sibi videri nihil posse comprehendi[6]. Aut in illo libro[7] aut in hoc[8] aut potius in libro Πρὸς Ἐπίκτητον opinor obiter eum demonstrasse μηδὲ τὸν ἥλιον εἶναι καταληπτόν. Neque enim dixit Galenus peculiarem librum ea ipsa

[1] Fertur atque inducitur a Tauro quoque apud Gellium *(N. A.*, I, XXVI) servus Plutarchi, nequam homo et contumax, sed libris disputationibusque philosophiae aures imbutas habens.

[2] In libro Πρὸς Ἐπίκτητον (Galenus, *De opt. doctr.*, I; I,41 K.). Cum vero aliud Favorini opus Περὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς διαθέσεως, ubi sine dubio de eisdem rebus agebatur, Plutarchus inscriptus esset (Id., *ibid.*; cf. p. 6, adn. 3), Zeller *(Ph. d. Gr.*, III[3], II, p. 67, adn. 1), haud miro errore, ambo opera miscuit.

[3] Galenus, *De opt. doctr.*, I; I, 42 K.

[4] Cicero, *Acad.*, II, 17-18; Diog. L., VII, 46.

[5] Cicero, *Acad.*, II, 77.

[6] Galenus, *De opt. doctr.*, I; I, 41 K. Ex Platonis dialogis operis titulum ductum esse arbitror. Cf. R. Hirzelii alias de hoc titulo conjecturas *(Der Dialog*, II, p. 122, adn. 2).

[7] Ita opinatur Zeller, *Ph. d. Gr*, III[3], II, p. 67, adn. 1.

[8] Ita opinatur Marres, *op. laud.*, p. 90.

de re a Favorino esse conscriptum, ne unum quidem, ut opinatur Zeller, ex tribus libris περὶ καταληπτικῆς φαντασίας de quibus supra mentio facta est, sed, si ambos locos inter se conferre licet, ita intellegendum esse arbitror : « Cum opus conscripsisset *(Alcibiadem* vel *Epictetum)* id ipsum demonstraturus nihil posse comprehendi (adeo ut ne solem quidem comprehendi posse contenderet), rursus in alio opere *(Plutarcho),* tanquam immemoribus nobis concedere videtur certo aliquid sciri posse[1]. »

Eam autem quam diximus judicii ἐποχήν, cum apud alios Academicos, tum apud Favorinum, deprehendere licet praecipue in eis quae ad mores pertinent. Neque enim, ut stoici, credebant Academici simplices esse leges ac semper unam et eandem, ut ita dicam, induere speciem, sed ad tempora et res et homines esse accommodandas. Quod antequam Cicero in oratione pro Murena habita Catoni dixerat, jam vindicaverat Carneades[2], et exemplis, a Cicerone traditis, demonstraverat non semper manifesto ap-

[1] Galenus, *De opt. doctr.*, I; I, 41 K. : ἐν τούτῳ μὲν (Ἀλκιβιάδῃ) εἴρηκε πιθανὸν ἑαυτῷ φαίνεσθαι μηδὲν εἶναι καταληπτόν, ἐν δὲ τῷ Πλουτάρχῳ συγχωρεῖν ἔοικεν εἶναί τι βεβαίως γνωστόν. Cf. Id., *ibid.*, V; I, 52 K. : ὁ θαυμαστὸς Φαβωρῖνος..... ἓν ὅλον γράψας βιβλίον, ἐν ᾧ δείκνυσι μηδὲ τὸν ἥλιον εἶναι καταληπτόν, ὡς ἐπιλήσμοσιν ἡμῖν ἑτέρωθι διαλέγεται συγχωρεῖ τέ τι βεβαίως εἶναι γνωστόν.

[2] V. Brochard, *Scept. Grecs*, p. 154-155 : « Carnéade paraît avoir été indirectement le fondateur de la casuistique. » Cf. C. Martha, *Études morales sur l'antiquité ; le philosophe Carnéade à Rome*, p. 65-82 ; R. Thamin, *Un problème moral dans l'antiquité ; étude sur la casuistique stoïcienne*, p. 89-93.

parere quid homini agendum esset[1], adeo ut duas inter se diversas de justitia orationes habere posset[2]. Aliorum ejusmodi exemplorum, cum ex aliis Academicis, tum ex Carneade sumptorum, amplam copiam congessit idem Cicero et libro mandavit quem *De officiis* conscripsit[3]. Haud aliter Favorinus fere in omnibus quae ad mores spectant et supra jam attacta sunt existimabat non urgendas leges neque ad amussim exigendas, sed « remisso subtili justitiae examine » indulgentiam adhibendam[4], ita ut interdum probaret quae forsan stoicis exprobranda viderentur. Velut, gratiam eam qua negabat Cato[5] unquam movendum esse sapientem his verbis definiebat : « Ἡ καλουμένη χάρις παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, τοῦτό ἐστιν ὕφεσις ἀκριβείας ἐν δέοντι[6]. » Idem, cum quaereretur εἰ δεῖ τῷ φίλῳ βοηθεῖν παρὰ τὸ δίκαιον καὶ μέχρι πόσου καὶ ποῖα, Theophrasto assentiebatur censenti parvam et tenuem turpitudinem vel infamiam esse subeundam, si ea re amico magna utilitas quaeri posset[7]. Porro, si auste-

[1] Cicero, *De finibus*, II, 59 ; *De Rep.*, III, 24-31.
[2] Plutarchus, *Cato*, XXII ; Cicero, *De Rep.*, III, 4. Cf. C. Martha, *op. laud.*, p. 82-115.
[3] Cicero, *De officiis*, III, *passim*.
[4] Gellius, *N. A.*, I, III, 27.
[5] Cicero, *Pro Murena*, 61 et 62.
[6] Gellius, *N. A.*, I, III, 27.
[7] Id., *ibid.* Cf. Cic., *Laelius*, 61..... « ut etiam, si qua fortuna acciderit ut minus justae amicorum voluntates adjuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum sit de via, modo ne summa turpitudo sequatur : est enim quatenus amicitiae dari venia possit. » Quanto autem severiores leges stoici amicitiae imponerent patet ex Epicteti *Dissertationibus*, III, XXIV, 49-50 et 58-61 ; *Ench.*, XXIV, 2-3.

ram et exactam aequitatis legem ponere velis, videntur pari jure veris probisque amicis habendos esse dissidentes fratres; Favorinus autem interdum oportere arbitrabatur alteros in alteram partem discedere, quo melius « viam sibi ad utriusque concordiam munirent[1] ». Sed nescio an in eis quae ad jus civile pertinent planius etiam appareat quam cauta judicandi ratione uteretur. Primum enim, cum animadvertisset plerisque decemviralium legum jam populum Romanum destitisse uti, approbavit Caecilii responsum : « Non enim profecto ignoras legum opportunitates et medellas, pro temporum moribus et pro rerum publicarum generibus ac pro utilitatum praesentium rationibus proque vitiorum quibus medendum est fervoribus, mutari atque flecti, neque uno statu consistere quin, ut facies caeli et maris, ita rerum atque fortunae tempestatibus varientur[2]. » Deinde cum, quadam die, Gellius, admodum juvenis, a praetoribus in judices tum primum lectus, « in inexplicabilem sententiae reperiendae ambiguitatem » incidisset et ad eum rem rettulisset, non modo « religionem illam cunctationis et sollicitudinis » valde comprobavit, sed ipse ultro multa alia exempla Gellio proposuit in quibus ambigi poterat ab utra parte staret jus et quid esset agendum[3]. Talibus enim inquisitionibus delectabatur, — quod vel eo patet quod praecepta

[1] Gellius, *N. A.*, II, xii, 5.
[2] Id., *ibid.*, XX, i, 22.
[3] Id., *ibid.*, XIV, ii.

Aelii Tuberonis (nescio an Academici) de judicum officiis nuperrime legerat, — et cavebat ne praecipitaret judicium et temere sententiam ederet; nam ita sermonem absolvit : « Sed de his rebus posthac, cum erit otium, dicere quid sentiamus conabimur[1]. » Quae judicii ἐποχή eum optime decet qui, Carneadem secutus, verum percipi posse negabat.

Qui autem in praesens verum assequi posse se desperabant, multo minus etiam futurarum rerum scientiam hominibus concessam esse existimabant. Carneades in primis, qui Chrysippum assidue insectatus est, nescio an nulla alia de re vehementius eum impugnaverit[2]. Notum est qua acerbitate quibusque ludibriis varias divinationis artes fallaces esse demonstraverit, sive prodigiis sive victimarum visceribus sive oraculis futura praenuntiari credebantur; namque ejus argumenta a Cicerone diligenter congesta et memoriae tradita sunt. Non aliam ob causam credo Favorinum quoque adversus astrologos declamasse, ita ut non sophistica, sed Academica habenda sit ea oratio[3]. Nam, cum ea aetate aliae divinationis artes tritae jam et obsoletae viderentur, et ipsa oracula deseri coepta essent[4], eorum

[1] Gellius, *N. A.*, XIV, II, 20.

[2] Cicero, *De divin.*, I, 7; I, 12.

[3] Hic obiter memorandum est Sex. Empiricum, haud ita multo post, cum πρὸς μαθηματικούς undecim libros scriberet, astrologos non praetermisisse.

[4] Juvenalis, *Sat.*, VI, 555; cf. Plut., *De defectu oraculorum*. Cf. C. Martha, *Les Moralistes sous l'Empire Romain*, p. 315 sqq.; Gréard, *De la Morale de Plutarque*, p. 252, adn. 1. Cf. etiam supra, p. 55 sq.

in locum successerant Chaldaeorum artes : quae incredibili gratia apud Romanos valebant, non mulieribus solum, ut est natura propensior ad credulitatem ille sexus, sed ipsis quoque imperatoribus ad vanam illam scientiam confugientibus. Novae igitur arti, a Carneade intactae, bellum de integro indicendum erat et vetus Carneadis disputatio adhibenda. Certe apud Favorinum eandem rationem eademque etiam argumenta deprehendas, sive Chaldaeorum responsa ex industria esse plerumque ambigua contendit et fortuito vera nonnunquam fuisse[1], sive ex contrariis observationibus eadem saepe portendi demonstrat, et inutilem vel potius exitiosam esse venturi mali notitiam[2], et homines non posse sua sponte suoque arbitrio regi, ut λογικὰ ζῷα decet[3], si stellis caelitus quasi neurospasta quaedam ducerentur[4].

Alia etiam in re Carneadem sectatus est Favorinus. Nam, cum Academici, aeque ac Pyrrhonii, nihil decerni nihilque constitui posse arbitrarentur et, secundum nota Pyrrhonis verba, οὐ μᾶλλον οὕτως ἔχει τόδε ἢ ἐκείνως ἢ οὐθετέρως[5], cohibendum esse judicium, ta-

[1] Gellius, *N. A.*, XIV, I, 33 ; cf. Cic., *De divin.*, I, 23; II, 48 ; *De fato*, 5 sqq.

[2] Gellius, *N. A.*, XIV, I, 36 ; cf. Cic., *De divin.*, II, 20.

[3] Certe eam rem (humanae voluntatis liberum arbitrium) majori curae habebant Academici quam Pyrrhonii ; de qua nullo loco Sex. Empiricus videtur disputavisse (Brochard, *Scept. Grecs*, p. 391).

[4] Gellius, *N. A.*, XIV, I, 23. Somnia quoque fallacia esse contendebat Carneades, neque aliud esse quam diurnarum imaginum vestigia (Cicero, *De divin.*, II, 127). Cf. quae Favorinus apud Plutarchum de autumnalibus somniis dixit (Plut., *Quaest. conv.*, VIII, x, 2).

[5] Gellius, *N. A.*, XI, v, 4.

men, si quid agendum erat, non perseverabant in illa judicii ἐποχῇ, sed, postquam in utramque partem disputaverant, hortabantur discipulos ut eligerent quod sibi vel εὔλογον (Arcesilas) vel πιθανόν (Carneades) esse videretur[1]. Ita autem censuisse Favorinum quoque testis est Plutarchus, qui, Academicis verbis usus, haud quidem extra jocum, hortatus est eum ut, diversis opinionibus de principio frigoris inter se comparatis, cohiberet judicium, nisi forte alterutra probabilitate satis excelleret[2]. Quapropter a Galeno inconstantiae incusatus est Favorinus, quod secum ipse pugnaret : « laudasse enim Academicos συναγορεύοντας μὲν ἑκατέρῳ τῶν ἀντικειμένων ἀλλήλοις λόγων, ἐπιτρέποντας δὲ τοῖς μαθηταῖς αἱρεῖσθαι τοὺς ἀληθεστέρους[3]. » Non autem, ut opinor, magis veras, sed magis veri similes, vel potius probabiliores rationes sequendas esse censebat[4]. Quam opinionem praecipue in libris Περὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς διαθέσεως[5] et Πρὸς Ἐπίκτητον[6] defendebat. Ceterum vix credo eum adeo levem fuisse adeoque

[1] Cicero, *Acad.*, II, 60.

[2] Plutarchus, *De pr. fr.*, XXIII ; cf. supra, p. 59. Cf. Galen., *De opt. doctr.*, I ; I, 41 K. : εἴρηκε πιθανὸν ἑαυτῷ φαίνεσθαι..... et Plut., *Quaest. Conv.*, VIII, x, 2, 1 : τῷ περιπάτῳ νέμει μερίδα τοῦ πιθανοῦ πλείστην.

[3] Galenus, *De opt. doctr.*, I ; I, 41 K. Cf. Epicteti *Dissertationes*, II, xx, 1-6.

[4] Cf. Zeller, *Ph. d. Gr.*, III[3], II, p. 68.

[5] Galenus, *De opt. doctr.*, I; I, 41 K. Animadvertendum est Plutarcho hoc opus fuisse dedicatum, quemadmodum Favorino dedicatus fuerat libellus ille *De principio frigoris* de quo Plutarchus eum hortabatur ut Academico more in utramque partem disputaret.

[6] Galenus, *ibid.*

non constitisse secum ut, cum negavisset quicquam, ne solem quidem, comprehendi posse, rursus βεβαίως τι εἶναι γνωστόν diserte concederet; sed videtur Galenus magis de verbis quam de rebus cum eo controversiam fecisse. Reputemus enim Ciceronem quoque, etsi Academicorum disciplinam probabat, tamen, communi dicendi genere usum, de vero atque falso, stoicorum more, nonnunquam disputare videri. Animadvertendum etiam est ipsum Galenum non dixisse συγχωρεῖ εἶναί τι, sed συγχωρεῖν ἔοικεν[1].....

Jam vero solemne erat, cum Academia mediam quandam viam teneret, non a « dogmaticis » modo, sed etiam a Pyrrhoniis ejusmodi lites Academicis intendi. Namque Aenesidemus aetatis suae Academicos reprehendebat, quod, cum nihil καταληπτόν esse contenderent, tamen quaedam δογματικῶς aut negarent aut affirmarent, ita ut vix quicquam eos inter ac stoicos interesset[2]. Idem hoc maxime inter Pyrrhonios et Academicos differre dicebat, quod « Academici quidem ipsum illud nihil posse comprehendi quasi comprehenderent et nihil posse decerni quasi decernerent; Pyrrhonii autem ne id quidem ullo pacto verum videri dicerent, quod nihil esse verum

[1] Neque vero solum Favorinum, sed universe recentiores Academicos ob talem repugnantiam reprehendit: « ii enim, non solus Favorinus, nunc usque eo provehunt τὴν ἐποχήν ut ne solem quidem comprehendi posse contendant, nunc usque eo τὴν κρίσιν ut discipulos hortentur ad eam assumendam. » (Galenus, *ibid.*, I; I, 40 sq. K.) Sed non liquet quare Academicos priores (παλαιότεροι) magis constare sibi contendat, quasi τὴν ἐποχήν satis habuerint.

[2] Photius, *Bibl.*, cod. 212, p. 169ᵇ sq. ed. Bekker.

videretur[1] ». At quid sibi vult ista verborum controversia? Quasi vero ipsi Academici illud quidem decernerent! Nam primum Arcesilas hoc quoque quod nihil certo sciri potest certo sciri posse negabat[2]; neque vero longe aliis verbis Carneades idem contendebat[3]. Nec minus caute Favorinus ipse in *Alcibiade* dixit πιθανὸν ἑαυτῷ φαίνεσθαι μηδὲν εἶναι καταληπτόν[4]. Vanam igitur et inanem insumebant operam Pyrrhonii ne quid commune sibi ea de re cum Academicis esse videretur.

Academici contra multo verius dixissent Pyrrhonios ipsos, vellent nollent, Academico more, cum agendum esset, remissis quibus cohibendum judicium censerent habenis, probabilitate quadam niti. Quid enim aliud est agere quam judicare quid optimum sit, aut quid est illud φαινόμενον, quod Sex. Empiricus sequendum dicit, nisi illud ipsum probabile aut verisimile quod insectatur[5]? Quare Epictetus[6] nihil inter eos differre arbitratus est et utrisque pariter repugnantiam objecit, quasi δογματικοί essent, etsi non esse sibi viderentur[7]. Ipse etiam Favorinus,

[1] Sex. Empiricus, *P.*, I, III, 226; Gellius, *N. A.*, XI, v, 8. Non dubium est quin Gellius hic referat Aenesidemi verba quae nobis a Photio tradita sunt. Verisimile autem est non ipsum legisse ea Gellium, sed a Favorino accepisse, qui Aenesidemi Πυρρωνείους λόγους necessario noverat.

[2] Cicero, *Acad.*, I, 45.

[3] Id., *ibid.*, II, 28.

[4] Galenus, *De opt. doctr.*, I; I, 41 K.

[5] Sex. Empiricus, *M.*, VII, 435 sqq.

[6] Epicteti *Dissertationes*, I, XXVII, 15: Πυρρώνειος καί 'Ακαδημαϊκός.....; I, XXVII, 2 : Πυρρώνεια καὶ 'Ακαδημαϊκὰ σοφίσματα.

[7] Id., *ibid.*, II, XX, 1-6.

si Philostrato creditur, τοὺς Πυρρωνείους ἐφεκτικοὺς ὄντας οὐκ ἀφαιρεῖται καὶ τὸ δικάζειν δύνασθαι[1], ideoque, ut opinor, tametsi ab Academia stabat, σκεπτικοῦ nomen minime respuebat. Quid enim aliud est *inquirere*[2] quam σκέπτεσθαι?

Si breviter concludere volumus qualis philosophus videatur nobis fuisse Favorinus, ita intellegendum esse existimamus. Academicus fuit, quatenus promptius assentiri sententiae cuiquam Academia vetabat : ut igitur Carneadem laudavit Cicero, a quo Herculis quidam labor exantlatus esset, « quod, ut feram et immanem beluam, sic ex animis nostris assensionem, id est opinationem et temeritatem extraxisset[3] », ita Favorinum mihi videor contendere posse nullum magis odisse vitium quam temeritatem et credulitatem. Quapropter ab eis praecipue aversissimo erat animo qui *praecipites prodigique judicii sui*[4] erant, et, veri compotes se esse rati, temere ac non sine superbia judicabant, sive stoici sive etiam grammatici[5] erant sive quamlibet aliam artem profitebantur. Neque aliam ob causam, si quid propositum erat, libenter in utramque partem disputabat, studio quodam instinctus, quod leniter irridebat Caecilius, « quicquid libitum erat arguendi tuendique[6]. » At, cum agendum erat, cum praesertim

[1] Philostratus, *V. S.*, I, VIII, 6.
[2] Gellius, *N. A.*, XX, I, 9.
[3] Cicero, *Acad.*, II, 108.
[4] Gellius, *N. A.*, XI, V, 4.
[5] Ex. gr., IV, I, 4 sqq.
[6] Gellius, *N. A.*, XX, I, 21.

adulescentibus praecepta regendae vitae ministranda erant, multo sanioris, ut vidimus, judicii erat quam ut « τί μᾶλλον οὕτως ἢ ἐκείνως ἢ οὐθετέρως ; » responderet, aut de qualibet re ne solem quidem posse comprehendi argueret, ea nempe ipsa intemperantia usus quam in aliis reprehendebat. Itaque etiam in Academiae suae praecepta, quae ad cohibendum judicium pertinebant, et alios facete jocari, nisi fallor, interdum tolerabat, neque ipse abstinebat quin leviter rideret[1]. Denique, ut uno verbo complectamur quod de ea re sentimus, quam scientiam, ut jam a sectae auctoribus repertam, stoici tenere se credebant, eam Favorinus diligenter quaerere non desistebat.

[1] Patet enim non sine joco Plutarchum ei suasisse ut de principio frigoris, si res obscurior videretur, cohiberet judicium ; et ipse a Caecilio de decemviralibus legibus sententiam rogatus haud hercle gravius recusavit, quia Academia judicare vetaret potius quam inquirere (Gellius, *N. A.*, XX, I, 9); namque, ut opinor, id tantummodo secum cogitabat, non licere sibi tali de re cum peritissimo jurisconsulto disputare ; denique Caecilius plane intellexit non graviter, sed sophistico quodam more eum disputasse : « Quaeso, inquit, consideres gravius cujusmodi sint ea quae reprehendisti..... ; .....iniquius paulo insectatus es lepida quadam sollertia verborum..... ; .....illae tuae reciprocae argutiores profecto quam veriores fuerunt. » (Id., *ibid.*, XX, I, 21, 33, 35.)

CAPUT QUINTUM

De Favorini πολυμαθίᾳ.

Academica disciplina nequaquam per se levis erat, neque a moribus solum, verum etiam a variis scientiae generibus non aversa. Minus quidem excelsa erat et minorem fautorum animis virtutem injiciebat quam stoicorum placita, quibus qui nitebantur verum et bonum assequi se posse, nimia interdum confidentia et superbia, credebant. Quare, si a levibus hominibus assumebatur, qui vanae voluptati disputandi et dialecticum acumen exercendi indulgebant [1], quales haud pauci exstiterunt eis temporibus Graeci, fere nihil pensi habebant quid verum falsumve, quid bonum malumve esset, atque etiam cum non jam disputandum modo, sed agendum erat, Pyrrhonis verba adhibebant Τί μᾶλλον οὕτως; Ideoque intellegere promptum

[1] Apud Polybium, XII, 26 c, deprehendere licet quas circa nugas morarentur quidam ex Academia philosophi.

est quare Epictetus ejusmodi homines non minore vehementia quam Epicureos insectatus sit[1]. At vero non omnes in tali inertia acquiescebant : qui autem, graviore mente praediti, si non verum, saltem simile quiddam assequi cupiebant, eis haud spernendas opes ministrabat illa disciplina. Argumento esse potest Cicero, qui, tametsi, ut causidicus, ab argutiis minime aversus erat, jam aetate provectus, solatia ab ea philosophia petivit. Neque vero minus Favorinus, praesertim ea aetate qua juvenum consuetudine utebatur, gravitatem quandam sophisticae arti videtur adspersisse[2], neque ad mores tantum, sed ad omne doctrinae genus esse conversus[3]. Quod optime eum decet cui studium inesset « quicquid libitum erat arguendi tuendique[4] » : nam in utramque partem disputatio non necessario vanus quidam lusus est; nec qui inquirit sive σκέπτεται veri est incuriosus; neque enim inquirere solet nisi qui sperat se aliquid inventurum, sed, etiamsi non credit verum posse attingi, tamen propius in dies accedere posse se confidit. Certe a Suida dictus est Favorinus ἀνὴρ πολυμαθὴς κατὰ πᾶσαν παιδείαν[5]; quod jam tum ex eis quae apud Gellium

[1] Epicteti *Dissertationes,* II, xx, 5-6 et 20.

[2] Cf. supra p. 37 et p. 53 sq.

[3] Memorare aequum est Ciceronem quoque et ipsum magnam doctrinae varietatem attigisse et oratori comprehendendam dixisse fere omnium rerum scientiam (*De orat.,* I, 16-21). Cf. V. Brochard, *Scept. Grecs,* p. 175 : « En fait, il n'y a guère eu d'esprits plus ouverts, plus curieux des progrès de la science humaine que les philosophes de la Nouvelle Académie. »

[4] Gellius, *N. A.*, XX, I, 21.

[5] Suidas, *Lex.*, s. v. Φαβωρῖνος.

Plutarchumve aut ipse dixit aut de eo dicta sunt, tum ex eis quae conscripsisse fertur demonstrare conabimur.

Ante omnia observandum est Favorinum naturalium quaestionum fuisse praecipue curiosum, quod vel inde patet quod in *Quaestionibus convivalibus* a Plutarcho inductus est cum Floro cumque ipso Plutarcho ejusque filiis de autumnalibus insomniis disputans [1], et alius ejusdem Plutarchi libellus, Περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ inscriptus, ei dedicatus est. Neque ob aliam causam, ut opinor, peripateticae sectae favisse videtur, quam nemo nescit ejusmodi quaestionum semper fuisse valde studiosam. Certe prioris dialogi initio professus est Plutarchus eum ardentissime Aristotelis amore flagrare, tum disputantem induxit de re jam antea ab Aristotele tractata, qua de causa eis maxime mensibus quibus defluunt folia incerta et mendacia essent insomnia. Nonnulli etiam arbitrati sunt alterum quendam Favorinum, Aristotelis sectatorem, hic esse inductum. Quem errorem longius refellere minime opus est; procul enim dubio est unum virum, Favorinum nomine, Plutarcho amicum fuisse, et eidem dedicatum esse, idque non temere, libellum *De principio frigoris* : in quo tametsi de ejusmodi rebus agebatur quales Aristoteles et Theophrastus potissimum tractaverant, tamen sub finem, haud quidem obscure, Academicus esse dictus est [2]. Atque

[1] Plutarchus, *Quaest. conv.*, VIII, x.
[2] Id., *De pr. fr.*, XXIII ; cf. supra p. 59.

ex ipso etiam sermone de autumnalibus insomniis habito idem facile colligitur. Nam primum non peripateticum eum esse dixit Plutarchus, sed peripateticae sectae *plurimum probabilitatis* tribuere [1], quod dicendi genus Academiae proprium est. Deinde ipse Favorinus, quanquam Aristotelis sententiam probat, quod vidit Autobulus [2], tamen non abstinet quin longe aliam Democriti sententiam adeo copiose explicet ut eam haud ita absurdam judicare videatur; qui etiam disputandi mos Academiae proprius est. Jam vero ipsum Plutarchum, cum quo Favorinus aemulatus esse a Suida dictus est [3], ea quoque de re Favorino comparaverim. Nam, etsi peripateticus fuisse dici non potest, tamen Theophrastum magnopere laudavit, tanquam ἄνδρα φιλήκοον καὶ ἱστορικὸν παρ' ὀντιναοῦν τῶν φιλοσόφων [4], et ipse, qui non mediocriter naturalium quaestionum curiosus esset, diligentissime Aristotelis et Theophrasti opera excussit. Denique alius Favorini aequalis, Plinii Minoris familiaris, Licinius Sura, argumento esse potest Academicae sectae congruere tales investigationes : tum enim a Plinio fertur in utramque partem disputare esse solitus, tum de naturalibus quaestionibus bis ab eo consultus est [5].

[1] Plutarchus, *Quaest. conv.*, VIII, x, 2, 1.

[2] Sic enim in dialogo Favorinum compellat : « Desine simulare adversus nos : neque enim nos non fallit te, quia Aristotelis sententiam probari cupis, tanquam umbram ei opinionem Democriti comparavisse. » (Id., *ibid.*, VIII, x, 3, 2.)

[3] Suidas, *Lex.*, s. v. Φαβωρῖνος. Cf. supra p. 6, adn. 1.

[4] Plutarchus, *Alcibiades*, X.

[5] Plinius Minor, *Epist.*, VII, xxvii, 15-16; IV, xxx. Cf. Zeller, *Ph. d. Gr.*, III³, ii, p. 69, adn. 1.

Nec vero ab ejusmodi studiis abhorrebant ea studia quae nunc quidem medicorum arti reservari solent. Quorum ut peritissimum fuisse Aristotelem nemo nescit, ita non adeo imperitus fuit Favorinus quin de medicina cum medicis haud inepte disputaret. Nam, cum, quadam die, aegrum amicum visisset, cujus, « cum antehac semper edundi fuisset appetens, post imperatam inediam tridui omnis appetitio pristina elanguerat », ad ejus lectum, non secus ac si ipse medicinam exerceret, probe et scite de ea re disputavit ; nec sine auctoritate quidem : nam Erasistrati διαιρέσεις penitus novisse se ostendit [1]. Atque obiter (nam sermones etiam communes, Gellio teste, « abducebat ad ea quae utile esset audire ac discere [2] ») valentibus etiam consuluit, quos docuit qua de causa « ventris compressione esuritionem posse depelli creditum esset [3] ». Quid quod de infantibus educandis quasdam adeo prudentes edidit sententias ut ne nostra quidem aetate peritis earum rerum obsoletae videantur [4]? Idem excelsiores et reconditiores doctrinas tetigit ; nam eruditissimum de ventis ejusque regionibus sermonem, et eum quidem subitarium, cum convivis habuit [5] ; et in Chaldaeorum artem invectus, cum plurimis et gravissimis argumentis usus est, tum eis praecipue quae haud spernendam astrorum

[1] Gellius, *N. A.*, XVI, III, 1-4.
[2] Id., *ibid.*, IV, I, 19.
[3] Id., *ibid.*, XVI, III, 4.
[4] Id., *ibid.*, XII, I. Cf. supra, p. 53 sqq.
[5] Id., *ibid.*, II, XXII.

caelestiumque rerum cognitionem indicant [1]. Inter quae unum memorare operae pretium est : dixit enim mirari se « id cuiquam pro percepto liquere stellas istas quae erraticae vocarentur non esse plures quam vulgo dicerentur » : ipse autem fieri posse existimabat, quod quidem nostrorum demum patrum memoria revera esse repertum est, « ut et alii quidam planetes essent sine quibus recta atque perpetua observatio perfici non quiret neque eos tamen cernere homines possent propter exsuperantiam splendoris vel altitudinis [2] ». Denique non quia sophistica in arte versatus fuerat, sed potius quia, peripatetico more, omnem doctrinarum varietatem attigerat, de qualibet re facile disserere poterat [3].

Amplam autem librorum copiam evolvisse Favorinum et ex *Noctibus Atticis* conjicere licet et adhuc testari videntur duo ejus opera. Namque et inter ambulandum si forte librum in manu amici conspexerat, legi jubebat [4], et « apud mensam ejus in convivio familiari legi solitum erat aut vetus carmen melici poetae aut historia partim Graecae linguae alias Latinae [5] », videlicet quia, ut Plinius Major, perire omne tempus arbitrabatur quod studiis non impenderetur [6]. Ac, quemadmodum ille nihil legebat quod non excerperet,

[1] Gellius, *N. A.*, XIV, I. Cf. Diog. L., IX, 23 (fr. 15 M.), ubi de Vespero et Lucifero agitur (vid. infra, p. 95).
[2] Id., *ibid.*, XIV, I, 11-12.
[3] Galenus, *De praecogn.*, V.
[4] Gellius, *N. A.*, III, I, 1.
[5] Id., *ibid.*, II, XXII, 1 ; cf. III, XIX, 1 ; XVI, III, 3 ; XX, I, 4.
[6] Plinius Minor, *Epist.*, III, V.

adeo ut Electorum commentarios centum et sexaginta nepoti relinqueret, sic ex ejusmodi excerptis conflata fuisse opinor ea Favorini opera quae Παντοδαπὴ ἱστορία et Ἀπομνημονεύματα inscribebantur, atque in id genus redigenda quod veteres ὑπομνηματικόν nominabant. Tertium etiam collectaneum opus ab eo confectum esse quidam suspicati sunt. Nam Stephanus Byzantius, s. v. Ῥοπεῖς, testem provocat Favorinum ἐν ἐπιτομῇ δ' τῆς Παμφυλίας, quod valde absurdum est. Duobus autem codicibus usus Meinekius restituit ἐν ἐπιτομῇ δ' τῆς Παμφίλης. Unde effecit Favorinum in compendium redegisse Pamphilae *Commentarios historicos* [1], addiditque idem post Favorinum a Sopatro esse factum. Non ab re alienum est commemorare ipsum illum Sopatrum, qui postea ex Favorini *Omnigena historia*, ἔκ τε τοῦ ν καὶ τοῦ ξ καὶ καθεξῆς πλὴν τοῦ τ μέχρι τοῦ ω deprompsit tertium suarum Ἐκλογῶν librum [2], alterum conflasse non quidem ex *Commentariis historicis*, quod credidit Meinekius, sed ex ejusdem Pamphilae Ἐπιτομῶν πρώτου λόγου καὶ καθεξῆς μέχρι τοῦ δεκάτου [3]. Mihi vero, ut Favorinus excerpta excerpere non dedignatus sit, tamen mirus utique videtur titulus Φαβωρῖνος ἐν ἐπιτομῇ

[1] Suidas, *Lex.*, s. v. Παμφίλη : ἱστορικὰ ὑπομνήματα ἐν βιβλίοις λγ'. Cf. Photius, *Bibl.*, cod. 175, p. 119ᵇ ed. Bekker : συμμίκτων ἱστορικῶν ὑπομνημάτων λόγοι η' ; Diog. L., V, 36 : Παμφίλη ἐν τῷ λβ' τῶν ὑπομνημάτων ; Gellius, *N. A.*, XV, XVII, 3 : « in commentario Pamphilae nono et vicesimo ».

[2] Photius, *Bibl.*, cod. 161, p. 103ᵇ ed. Bekker. Cf. infra, p. 87, adn. 3.

[3] Photius, *Bibl.*, cod. 161, p. 103ᵃ ed. Bekker. Cf. Suidas, *Lex.*, s. v. Παμφίλη : ἐπιτομαὶ ἱστοριῶν τε καὶ ἑτέρων βιβλίων παμπλείστων.

δ' τῆς Παμφίλης. Ut dicam quod sentio, verba ἐπιτομὴ δ' τῆς Παμφίλης, quae apud Stephanum Byzantium exstant, ipsum posterioris Pamphilae operis titulum referre mihi videntur [1], in quem intrusum fuisse Favorini nomen opinor, nescio quo errore Hermolai, qui 'Εθνικά Stephani in compendium redegit, fortasse ob Sopatri 'Εκλογάς, eadem aetate redactas, in quibus Pamphilae et Favorini nomina juxta memorabantur [2]. Quamobrem de duobus tantum historicis operibus nobis disserendum est quae constat a Favorino esse conscripta et quorum exstant adhuc plurima fragmenta, cum ab aliis, tum praecipue a Diogene Laertio tradita [3]. Quae cum passim ac nullo conjuncta vinculo jaceant, tamen universam quandam speciem de eis percipere, si modo fieri poterit, conabimur.

Ac primum quaerendum esse videtur num apud Gellium, quemadmodum alia Favorini opera, decla-

[1] Cf. commentarium Pamphilae nonum et vicesimum, a Gellio laudatum (*N. A.*, XV, XVII, 3).

[2] E. Maass (*Philol. Unters.*, III, p. 55, adn. 61) interpretandum censet « Favorinus *ex* Pamphilae epitomis adfert.....», collatis scholiis homericis, velut Σελευκός φησιν ἐν τῇ Κυπρίᾳ, id est « Seleucus adfert ex Cypria Homeri editione ».

[3] 'Απομνημονευμάτων quidem, sive *Memorabilium* fragmenta ab uno Diogene tradita sunt. Παντοδαπῆς autem ἱστορίας, sive *Omnigenae historiae*, ut fragmenta apud varios auctores exstant, ita de titulo inter eos parum constat. Hunc titulum tradidit et usurpavit Laertius, excepto quod semel (VIII, 15) plurali numero usus est. Apud Stephanum Byzantium legitur Παντοδαπαὶ ἱστορίαι, Παντοδαπαί, Παντοδαπά, Παντοδαπὴ ὕλη ἱστορική ; apud Photium Παντοδαπὴ ὕλη; in *Etymologico Magno* Περὶ παντοδαπῆς ὕλης; apud Julium Valerium (*De rebus Alexandri*, I, 13; *Frag. hist. graec.*, III, p. 584) *Omni genere* (emendavit Marres *Omnigenae) historiae*. Cf. Marres, p. 76 et fr. 43 M.

mationes quaedam et libri Πυρρωνείων τρόπων diserte laudata sunt, sic horum quoque vestigium quodquam appareat, cum praesertim ipse ab ejusmodi miscellanea doctrina non adeo aversus fuisse videatur. Si vero Nietzscheo credimus[1], non desunt luculenta indicia in *Noctibus Atticis* Παντοδαπῆς ἱστορίας mentionem esse factam, adeo ut in eam cadat capitulum illud quo proponitur quaestio « Cuimodi sint quae speciem doctrinarum habeant, sed neque delectent neque utilia sint[2] ». Hic enim narravit « hominem sibi familiarem, in litterarum cultu non ignobilem, magnamque aetatis partem in libris versatum », dedisse sibi « librum grandi volumine, doctrinae omnigenae praescatentem, quem sibi elaboratum ipse diceret ex multis et remotis et variis lectionibus, ut ex eo sumeret, ad ornandas suas *Noctes,* quantum liberet rerum memoria dignarum[3] ». Quem cum primum libens accepisset, nihil dico, cupidus arripuisset, mox inani eruditione refertum invenisset, statim et properans reddidit : « Ὀναιό σου, inquit, doctissime virorum, ταύτης τῆς πολυμαθίας, et librum hunc opulentissimum recipe nihil prorsus ad nostras paupertinas litteras congruentem. Nam meae *Noctes,* quas instructum ornatumque isti, de uno maxime illo versu Homeri quaerunt, quem Socrates

[1] F. Nietzsche, *De Diogenis Laertii fontibus, Rhein. Mus.*, N. F., XXIII, p. 632-653 : cap. II, *De Favorino Arelatensi* (add. XXIV, p. 196 sqq.).

[2] Gellius, *N. A.*, XIV, VI.

[3] Id., *ibid.*, XIV, VI, 1.

prae omnibus semper rebus sibi esse cordi dicebat :

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται[1]. »

Quae Nietzschei sententia non modo Maassio[2] placuit, sed etiam Wilamowitzio[3], qui alioqui a Maassio dissentire solet[4]. Nobis autem quominus in Favorinum cadere illa credantur grandis videtur obstare difficultas, quanquam non in ea haerendum esse arbitrati sunt Nietzscheus Maassiusque. Nam primum, quantum fastidit Gellius inanem illius libri eruditionem quia neque delectet neque utilis sit, tantum idem suspicere solet Favorini egregiam vel potius divinam memoriam[5]. Nam, postquam portenta quaedam fabularum indignissime a Plinio Secundo in Democritum collata fuisse narravit et ex eis pauca invitus et fastidiens memoravit, idem non vanum aeque, quanquam non minus admirabile, esse existimat id quod Archytas Pythagoricus fecisse traditur, utpote quod « et plerique nobilium Graecorum et Favorinus philosophus, memoriarum vete-

[1] Gellius, *N. A.*, XIV, VI, 5.

[2] E. Maass, *Philol. Unters.*, III, p. 49. « *Omnigenam historiam* a Gellio XIV 6 perstringi Nietzscheus invictis demonstravit argumentis. »

[3] U. von Wilamowitz Moellendorff, *Ad Ernestum Maassium epistula*, *ibid.*, p. 145 : « Tu ipse concedis ex Gellii loco, *quem Nietzscheus ad Favorinum bene rettulit,* de ordine *Omnigenae historiae* nihil posse concludi, ambigi posse num ullus fuerit ordo. »

[4] Eis adjiciendus est R. Hirzel, qui his verbis (*Der Dialog*, II, p. 120, adn. 3, sub finem) demonstrat se cum Nietzscheo facere : « Gellius, wo er an Favorin etwas zu tadeln findet, auf kynischem Grunde steht (*N. A.*, XIV, VI). »

[5] Gellius, *N. A.*, XIII, XXV (XXIV), 5.

rum exsequentissimus, affirmatissime scripserint ». « Libet etiam, inquit, super re tam abhorrenti a fide ipsius Favorini verba ponere[1]. » Alio loco, narrat a Favorino facete et lepide irrisum esse grammaticum quendam, qui ineptam et nimis subtilem doctrinam ostentabat, cum ipse « sermones id genus communes a rebus parvis et frigidis abduceret ad ea quae magis utile esset audire ac discere[2] ». Ad hoc, vidimus Favorinum earum rerum quae ad mores pertinerent minime fuisse incuriosum et ipsi Gellio consulenti nonnunquam de eis rebus respondisse. Quapropter sane incredibile est Gellium, in tam grandi volumine ejus quem philosophum vocare solebat, nihil omnino inventurum fuisse ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται, atque inter hominis librum, e lectionibus conflatum, et ejusdem sermones, qui e lectionibus nimirum redundabant, tantam discrepantiam fuisse intercessuram. Hoc certe Photius[3] judicium tulit, non quidem de ipsius Favorini opere[4], sed de Sopatri *Eclogis*, quarum tertius liber ex *Omnigena historia* ductus erat : Πρὸς ἀρετὴν καὶ καλοκἀγαθίαν πλεῖστά ἐστιν αὐτῶν ἀπανθίσασθαι[5].

[1] Gellius, *N. A.*, X, XII.
[2] Id., *ibid.*, IV, I, 19.
[3] Photius, *Bibl.*, cod. 161, p. 105ᵃ ed. Bekker.
[4] Quod imprudens mihi dixisse videtur M. Croiset (*Hist. de la Litt. Gr.*, V, p. 577).
[5] Hic obiter memoratu dignum est compendium illud ideo laudari a Photio quia et ad omnigenam scientiam et ad mores et ad rhetoricam sophisticamque artem plurimum conferat. Nam eis ipsis laudibus, inverso ordine, dignus fuisse Favorinus quoque nobis visus est. Quanquam ex praecedentibus Photii verbis (καὶ

Illud vero multo majus facessit negotium, quod parum verecunde Gellius eruditum illum, quem quidem familiarem sibi, non praeceptorem fuisse dixit, allocutus est. Nietzscheo judice, est quod observemus quanta lenitate quantaque urbanitate laudem vituperationi immiscuerit[1]. Mihi autem hoc multo insignius videtur, quod, quanquam honorificis verbis « doctissime virorum » compellavit eum, tantum illis subest ludibrium ut Favorinum, cujus obtusum fuisse vix crediderim ingenii acumen, fallere non posset. Qui vero decebat discipulum, alias verecundum et modestum, grandioris natu magistri, velut suem Minervae, inversis partibus, ita castigatorem agere ut ejus scientiam nullius esse pretii aperte diceret, se autem nihil quaerere nisi quod utilitatem quandam praeberet, cum praesertim ne a *Noctibus* quidem absit πολυμαθία illa quam νόον μὴ διδάσκειν dicebat[2]? Nam, cum derideat hanc Homericam quaestionem « qua ratione dixerit singulas pecudes in singulos annos terna parere[3] », minime ipse dedi-

μύθων καὶ τεράτων ψευδῶν τε καὶ ἀπιθάνων, ὥς μοι καὶ πολλάκις εἴρηται, οὐ καθαρεύει) conjicere licet, quemadmodum e Sopatri *Eclogis*, sic e Favorini libro non omnino afuisse incredibiles illas fabulas quas Gellius apud Plinium fastidiebat. Certe novimus, post Theopompum, Favorinum dixisse omnes in Bisaltia captos lepores bina jecora habere (Steph. Byz., s. v. Βισαλτία; fr. 58 M.). Mirum est idem memorare Gellium, nullo quidem fastidio (*N. A.*, XVI, xv), Theopompo, non Favorino teste provocato. Cf. Maass, *op. laud.*, p. 106, adn. 113.

1 Nietzsche, *op. laud.*, p. 647.

2 Gellius, *N. A.*, *praef.*, 12.

3 Id., *ibid.*, XIV, vi, 4.

gnatus est illam Vergilianam, « quam ob causam hostiae quaedam bidentes appellatae sint[1] ».

Nietzscheus quidem pro certo habet alio *Noctium Atticarum* loco diserte exprobratum esse Favorini librum, unde colligit, qui semel libere de magistro judicaverit, eum iterum etiam idem facere potuisse[2]. Etenim, cum in prooemio Gellius lepide irrideret « festivitates inscriptionum quas plerique scriptores in id genus libris fecissent », postquam amplam earum copiam protulit, « est, inquit, qui *Historiae naturalis*, est Παντοδαπῆς ἱστορίας (titulum fecerit)[3] ». Ut vero in Plinium Favorinumque ea verba cadant, certe non omnes, sed *plerosque* talium librorum auctores dixit frigidas res nullo discrimine undecumque converrisse; deinde non magis titulos ipsos quam varietatem titulorum irrisit, inter quos nescio an nullus tantae fuerit modestiae quantae Παντοδαπὴ ἱστορία, id est, non universa historia, sed omnigenae quaestiones; adeo ut Favorinum eo loco non irrisisse videatur, quem forsitan ne respexerit quidem. Unum hoc inde effici potest : cum Gellius prooemium illud scribebat, quod post libros viginti confectos sese scripsisse ipse professus est[4], sane obversabatur ei ante oculos, inter alios frigidarum rerum compilatores, is vir doctissimus, quisquis ille fuit[5]. Quod

[1] Gellius, *N. A.*, XVI, VI.
[2] Nietzsche, *op. laud.*, p. 646 sq.
[3] Gellius, *N. A.*, *praef.*, 8.
[4] Id., *ibid* , *praef.*, 22.
[5] Cf. Nietzsche, *op. laud.*, p. 644.

utroque loco nomen Favorini silentio praetermissus est, quod alias crebro in *Noctibus Atticis* prolatum est, id Nietzscheus judicat modesto Gellii animo probe convenisse[1]. Quae tandem est ista verecundia, ejus omittere nomen quem coram aperte irriseris? Quanto autem facilius ejus rei ratio redditur, si neuter locus in Favorinum cadit!

Quod quanquam verisimillimum est, tamen non silentio praetermittendum illud quod Nietzscheus permagni esse momenti arbitratus est et argumentorum aedificio tanquam fastigium imposuit[2]. Nam tum in illo grandi libro inter varia miracula relatum fuisse testatur Gellius « quibus urbibus regionibusque vocabula jam mutata sint, quod Boeotia ante appellata fuerit Aonia, quod Aegyptus Aeria dicta sit, quod *Attice* 'Ακτή, quod Corinthus Ephyre, quod Macedonia 'Ημαθία, quod Thessalia Αἱμονία, quod Tyros Sarra, quod Thracia ante Sithonia dicta sit, quod Paestum Ποσειδώνιον[3] »; tum apud Stephanum Byzantium legitur s. v. 'Ακτή : οὕτως ἡ 'Αττικὴ ἐκαλεῖτο ἀπὸ 'Ακταίου τινός · ἀνὴρ δὲ ἦν αὐτόχθων, ὡς Φαβωρῖνος[4]. At, praeterquam quod origo nominis potius quam

[1] Nietzche, *op. laud.*, p. 647. Cf. Maass, *op. laud.*, p. 49 : « Adde quod officii erga praeceptorem Favorinum praestandi ita memor erat, ut nomen ejus ibi dissimularet. »

[2] Nietzsche, *op. laud.*, p. 645 sq.

[3] Gellius, *N. A.*, XIV, VI, 4.

[4] Ne hoc quidem urgeo, quod neque illud neque vetus Sphacteriae nomen (fr. 61 M.) diserte dixit Stephanus se in *Omnigena historia* repperisse, cum tamen saepius occurrat apud eum ejus operis titulus (fr. 45-49 M.).

ipsum nomen, alioqui notum, apud Favorinum reperta videtur fuisse, cum id non ipse nimirum excogitaverit Favorinus, sed ex alicujus libro excerpserit, cumque « doctissimus vir » ex multis et variis et remotis lectionibus grande suum volumen elucubraverit, ex uno et eodem fonte pristinum illud Atticae nomen ambo hausisse potuere, nisi forte « doctissimum virum » e Favorini *Omnigena historia* nuper edita id excerpsisse credere malis. Inde etiam sumpta fuisse videntur cetera nomina quae et Gellius legisse se dixit et Stephanus, nulla quidem Favorini mentione facta, rettulit, velut Ἀονία, Ἀερία, Ἐφύρη, Ἠμαθία, Αἱμονία[1].

Quando igitur *Noctium Atticarum* neque ille locus neque ullus alius[2] in *Omnigenam historiam* cadere videtur, si universam speciem de eo opere intra nos effingere volumus, restat ut ad Photii quendam locum[3] et ad ipsa Favorini fragmenta confugiamus.

[1] Contulit etiam Nietzscheus (*op. laud.*, p. 645) hoc Stephani, s. v. Ὠκεανός. Φαβωρῖνος ἐν ταῖς Παντοδαπαῖς ἱστορίαις · « Προσαγορεύουσι δὲ τὴν ἔξω θάλατταν ἐκεῖ μὲν οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων Ὠκεανὸν, οἱ δὲ τὴν Ἀσίαν οἰκοῦντες μεγάλην θάλατταν, οἱ δ' Ἕλληνες Ἀτλαντικὸν πέλαγος » cum illo Gellii (*N. A.*, XIV, VI, 3): « utrum ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ Ulixes erraverit κατ' Ἀρίσταρχον an ἐν τῇ ἔξω κατὰ Κράτητα. » Sed ne eae quidem quaestiones videntur artius inter se esse cognatae. Cf. Senecam, *Epist.*, LXXXVIII, 6.

[2] Non adeo mirum est si nullum ex praeceptoris libro locum excerpsit Gellius : neque enim excerpta compilare, sed eos potius libros adire solebat qui unum certumque consilium sequebantur ; Favorini autem sermones, non libros excerpere satis habebat. Quanquam cf. Diog. L., IV, 5 (fr. 10 M.), ubi *Memorabilia* Favorini laudantur, et Gell., *N. A.*, III, XVII, 3 ; item Steph. Byz. (fr. 58 M.) et Gell., *N. A.*, XVI, XV (vid. supra, p. 83, adn. 5).

[3] Photius, *Bibl.*, cod. 161, p. 103 b ed. Bekker : Ὁ δὲ τρίτος

Cum autem ex Photii loco effecisset C. Muellerus [1] Favorini librum κατὰ στοιχεῖον, id est ad litterarum ordinem sive alphabetico more, digestum fuisse, jam multo ante Nietzscheum [2] dilucide demonstraverat Marresius [3] *Omnigenam historiam* non fuisse lexicon, sed quattuor et viginti libros [4] complexam esse secundum notam Iliadis Odysseaeque normam : quibus plane adstipulatus est Wilamowitzius [5]. Quapropter ea in re non longius urgendum ; illud majus ex Photii loco effecit Nietzscheus, *Omnigenam historiam* quadripartitam fuisse, tertiam autem partem ἐκ τοῦ ν μέχρι τοῦ τ a Sopatro compilatam [6] : qua de re eo libentius Nietzscheo assentior quod ultro ipse idem ante conjeceram. Atque ideo ea tantummodo pars a Sopatro videtur fuisse excerpta, quia videlicet ibi aut de certis libris agebatur aut certorum librorum excerpta continebantur. Utrum Photii verba ἐν οἷς διάφοροι ἱστορίαι κτλ. ad tertiam partem, a Sopatro compilatam, an ad

λόγος συλλέγεται αὐτῷ (Sopatro) ἐκ τῆς Φαβωρίνου Παντοδαπῆς ὕλης, ἔκ τε τοῦ ν καὶ τοῦ ξ καὶ καθεξῆς πλὴν τοῦ τ μέχρι τοῦ ω · ἐν οἷς διάφοροι ἱστορίαι καὶ τῶν κατὰ τὰ ὀνόματα θέσεων αἰτιολογίαι καὶ τοιαῦτα ἕτερα.

[1] C. Müller, *Fragm. Hist. Graec.*, III, p. 577.

[2] Nietzsche, *op. laud.*, p. 649.

[3] Marres, *De Favor. Arel. vita et scriptis*, p. 77.

[4] Diogenes Laertius, qui raro numerum indicat singulorum librorum unde excerpta sua duxit, diserte memorat libros I, II, VIII.

[5] Wilamowitz, *op. laud.*, p. 146 : « Verum in propatulo est, recte intellectum a Nauckio (*Philol.*, V, 704). Favorinus XXIV libros doctrinae confusaneae congessit, eisque litteras non numeros inscripsit. »

[6] Nietzsche, *op. laud.*, p. 649 sq.

quartam, ab eo omissam, referenda sint, incertum est, etsi nequaquam ambigua ea aestimat Wilamowitzius[1]: illud autem utique mihi patere videtur, non circa easdem res versatas fuisse ambas partes. Equidem credo eis verbis Photium rationem reddidisse cur tertiam partem Sopater elegerit, non cur quartam omiserit; nam simul dixisset cur etiam prima et altera neglectae essent.

Disertius vero de ordine *Omnigenae Historiae* disserere temeritatis est. Recte quidem vidit Nietzscheus miracula illa quae Gellius in « doctissimi viri » libro invenisse se narravit, non inter se mixta atque confusa fuisse ; primum enim unum εὕρημα, deinde pauca ὁμώνυμα, postea multas Homericas quaestiones, denique aliquot urbium regionumque mutata nomina enotavit[2]. Num vero et ipsa Favorini historia ad certum quendam ordinem digesta fuerit, nihilo minus ambigitur, cum praesertim, exceptis quattuor fragmentis, nusquam tradiderit Diogenes numerum librorum unde singula fragmenta desumpta sunt. Ii ipsi qui cum Nietzscheo faciunt, rato in Favorini librum cadere Gellii verba, confitentur ex illo Gellii loco nihil posse colligi de ordine *Omnigenae historiae*[3]. Illud tantum asserere licet, multa fragmenta Favorini, a Diogene tradita, ad inventa spectare, nonnulla etiam urbium regionumque nomina e Favorino duxisse

[1] Wilamowitz, *op. laud.*, p. 145.
[2] Nietzsche, *op. laud.*, p. 650 sq.
[3] Maass, *op. laud.*, p. 50 sqq.; Wilamowitz, *op. laud.*, p. 145.

Stephanum Byzantium [1]. Animadvertendum est tria ea fragmenta quae diserte ex octavo libro sumpta feruntur, ad inventa spectare [2]: cetera autem quae ad inventa spectant, et ea quidem multo plura, incertae sedis sunt [3]. Certe plurimi jam inde a Ptolemaeorum aetate exstitere qui ejusmodi inventa colligerent, et multa alia ita refert Diogenes ut nullo modo Favorino deberi videantur [4]. Neque vero Graeci modo, sed Romani etiam, Graecos aemulati, illi studio indulsere eruendi quis primus quamque rem novam invenisset: narrat enim Seneca, haud sine ludibrio, audivisse se « quendam sapientem referentem quae primus quisque ex Romanis ducibus fecisset [5] ». Num autem

[1] Vid. fr. 20, 45, 46, 48, 49 M., ex *Omnigena historia* desumpta; fr. 56, 57, 58, 59, 61 M., incertae sedis. Stephanus Byzantius, s. v. Ἀλεξάνδρειαι (fr. 45 M.) laudat Favorinum ἐν τῷ Περὶ Κυρηναϊκῆς πόλεως quod sane obscurum est. Suspicatus Hecker excidisse litteram ε' emendavit Περὶ Κυρηναϊκῆς Πενταπόλεως. Cum autem constet non alienam fuisse ab *Omnigena historia* locorum descriptionem, forsitan hic habeamus titulum sectionis cujusdam ejus libri, non peculiaris operis (cf. Maass, *op. laud.*, p. 53). Nimia vero subtilitate conjecit Marresius *(op. laud.,* p. 80), cum πάλης in tribus codicibus exstet, veram lectionem esse περὶ παντοδαπῆς ὕλης (cf. supra, p. 80, adn. 3), Κυρηναϊκῆς autem et depravatum esse et loco positum non suo.

[2] Diog. L., III, 24; VIII, 12 et 47 (fr. 22, 23, 24 M.).

[3] Id., *ibid.*, II, 1; 11; 20; V, 9; VIII, 83; IX, 23 (fr. 25, 26, 27, 34, 39, 40 M.); cf. IX, 23 et III, 48 (fr. 15 et 16 M.) (ex ***Memorabilibus)***; VIII, 48 (fr. 53 M.); Steph. Byz., s. v. Αἰθίοψ (fr. 55 M.); Gell., *N. A.*, X, XII, 10 (fr. 62 M.). Ea omnia conjecit Nietzscheus *(op. laud.*, p. 650) Favorinum sumpsisse ex libro περὶ εὑρημάτων, qualem scripserunt Ephorus ejusque adversarius Heraclides, Strabo, Artemidorus, Philostephanus, alii. Hoc vero jure dixit Maassius (*op. laud.*, p. 51), ut contendi posse, ita nequire demonstrari.

[4] Diog. L., IX, 29 (fr. 40² M.); VIII, 14; cf. IX, 23 (fr. 40¹ M.); IX, 21; cf. VIII, 48 (fr. 53 M.); I, 23-24; II, 48 et 65; IX, 51-53.

[5] Seneca, *De brev. vit.*, XIII, 2 sqq.

Favorinus etiam in peculiari quadam *Omnigenae historiae* parte eas res tetigerit, plane incertum est [1].

Quod ad Ἀπομνημονεύματα [2] attinet, primum minoris ambitus videntur fuisse : nam, ut dubitari possit num quattuor et viginti libros complexa fuerit *Omnigena historia,* certe ad octavum librum quater provocavit Laertius; *Memorabilium* autem librorum, quorum saepius mentionem fecit, numerus nusquam quintum transgressus est [3]. Ad hoc vix credendum est ordinem quemquam in materie digerenda servatum esse a Favorino. Namque, ex fragmentis quae inde sumpta esse accepimus, quattuor tantummodo incertae sedis sunt, cetera ad suum quodque librum diserte relata. Patet autem nullo temporum ordine dispositos fuisse philosophos qui ibi memorantur [4] : de Demetrio enim Phalereo in primo libro disserebatur, de Aristotele in altero, in tertio de Pythagora [5]. Quin etiam quasi districtus Plato in primum et tertium et quintum por-

[1] Cum unus Suidas, quem parum diligentem fuisse constat et saepius ea rettulisse quae non comperta habebat, Favorini operibus adnumeraverit Περὶ τῆς Ὁμήρου φιλοσοφίας (cf. Diog. L., II, 11; fr. 26 M.) et Περὶ Σωκράτους καὶ τῆς κατ᾽ αὐτοῦ ἐρωτικῆς τέχνης (cf. Galen., *De libr. prop.*, XII ; XIX, 45 K.) et Περὶ Πλάτωνος et Περὶ τῆς διαίτης τῶν φιλοσόφων, quorum nulla mentio apud Diogenem Laertium reperitur, nescio an ad eos titulos referendae sint, non sophisticae orationes, quod quidam conjecere, sed singulae sectiones *Omnigenae historiae,* vel ejusmodi commentarii, aliunde excerpti, ad certam materiam spectantes, quae peculiaria fuisse opera Suidas crediderit.

[2] De aliis *Memorabilium* scriptoribus, vid. Asm, *Quaestiones Epicteteae,* p. 35, adn. 1 ; Nietzsche, *op. laud.,* p. 648.

[3] Cf. Nietzsche, *op. laud.*, p. 648.

[4] Cf. Nietzsche, *op. laud.,* p. 651 ; Maass, *op. laud.*, p. 48.

[5] Diog. L., V, 76; V, 21; VIII, 12 (fr. 7, 11, 23 M.).

rigebatur[1]; item amores Demetrii et in primo et in altero libro narrabantur[2]. Ne id quidem affirmaverim nihil aliud quam philosophorum dicta factaque memorabilia ibi fuisse relata, quando Diogenes, a quo uno Ἀπομνημονευμάτων fragmenta servata accepimus, nihil excerpere solebat nisi quae ad philosophorum vitas et placita spectabant. Quanquam id propius fidem est[3], atque eam ipsam fuisse causam arbitror cur a nullo alio veterum commemoratum sit illud opus: nisi forte inde sumptus est locus ille a Gellio traditus, quo Favorinus scripserat « simulacrum columbae e ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse[4] ». Sic quidem judicat Nietzscheus, qui pro certo habet Gellium prae fastidio nihil ex *Omnigena historia* Favorini excerpsisse; atque etiam titulum libri apertissime indicari arbitratur Gellii verbis « *memoriarum* veterum exsequentissimus[5] ». Nobis autem aeque ad *Omnigenam historiam* is locus videtur posse referri[6]. Nihil utique inde efficere licet, si quis distinctam imaginem *Memorabilium* sibi effingere velit. Quod si et *Omnigenae historiae*

[1] Diog. L., III, 25, 40, 62 (fr. 6, 13, 14 M.).

[2] Id., V, 76 (fr. 7 M.).

[3] Forsitan liber Περὶ τῆς διαίτης τῶν φιλοσόφων a Suida memoratus (cf. supra, p. 91, adn. 1) non alienus fuerit a *Memorabilibus* (cf. Diog. L., II, 23; V, 76; VIII, 73; IX, 20 = fr. 3, 7, 8, 9 M.). Sed ne ab *Omnigena* quidem *historia* aberant apophthegmata philosophorum (Diog. L., IV, 63; VI, 25 = fr. 32 et 36 M.); cf. infra, p. 96.

[4] Gellius, *N. A.*, X, XII, 9; cf. supra, p. 82 sq.

[5] Nietzsche, *op. laud.*, p. 647.

[6] Cf. supra, p. 90, adn. 3.

et *Memorabilium* fragmenta inter se contuleris, haud magna discrepantia inter utrumque Favorini opus videtur intercessisse. Ut in hoc, ita in illo constat inventa fuisse collecta, quandoquidem de Pythagorae inventis utrumque opus provocat Diogenes [1]. Ut « doctissimus vir » aliique, quibus auctoribus usus est Diogenes [2], ita Favorinus in *Memorabilibus* ὁμώνυμα rettulerat [3], quod argumento est omnia ejusmodi opera circa easdem res versata fuisse [4]. Quapropter verisimillimum est ipsa quoque *Memorabilia* ad id genus pertinuisse quod ὑπομνηματικόν [5] apud veteres dicebatur, et conflata esse ex commentariis quos Favorinus e variis lectionibus excerpebat [6]; atque etiam,

[1] Diog. L., VIII, 12 (fr. 23 M.). Cf. id., IX, 23 (fr. 15 M.); III, 48 (fr. 16 M.). Cf. etiam, inter miracula in « doctissimi viri » libro a Gellio (*N. A.*, XIV, vi, 3) deprehensa, « quo nomine fuerit qui primus grammaticus appellatus sit ».

[2] Cf. Maass, *op. laud.*, p. 54, adn. 58.

[3] Cf., inter eadem miracula « doctissimi viri », « quot fuerint Pythagorae nobiles, quot Hippocratae » (Gell., *ibid.*) et Diog. L., I, 79 (fr. 2 M.): γέγονε καὶ ἕτερος Πίττακος..... Quare non video cur *Omnigenam historiam*, non *Memorabilia*, Gellio a Favorino datam fuisse crediderit Nietzscheus.

[4] Cf. Diog. L., III, 20 (fr. 5 M.) et III, 19 (fr. 30 M.), unde efficitur in utroque opere Favorinum de Platone et Pollide egisse.

[5] Semel etiam nomen ὑπομνήματα usurpavit Laertius, VIII, 53 (fr. 17 M.).

[6] Inter Favorini auctores fuisse Niciam Nicaeensem sagaciter suspicatus est Nietzscheus (*op. laud.*, p. 651 sq.). Nam primum, quod Favorinus apud Laertium (III, 62, fr. 14 M.) rettulit in quinto *Memorabilium* libro, Halcyonem dialogum, quod falso Platonis nomine ferebatur, Leonti adscribendum id jam ante Nicias apud Athenaeum (XI, p. 506 c) dixerat. Item, cum narrarent Laertius et Athenaeus primum dialogorum auctorem fuisse Alexamenum Teium, hic Niciam et Aristotelem (XI, p. 505 bc), ille Favorinum et Aristotelem (III, 48, fr. 16 M.) provocavit testem.

Maassium ea de re secutus, Nietzscheo assentiendum arbitror, « excerpta, sicut in legendo erant facta, in collectaneorum promptuarium rato translata esse[1] ».

Ut vero difficile est uno conspectu amplecti *Omnigenam historiam* et *Memorabilia Favorini,* et constituere qualia essent cum integra illa adiit Diogenes, ita, si in ea quae adhuc apud eum auctorem, quamvis lacera, exstant, studium convertemus, id praecipue quaerentes quanam ratione opera illa adhibuerit quamque ipse inde utilitatem perceperit, non nihil effici potest, doctorum praesertim virorum beneficio, qui in his triginta annis circa Laertii fontes lucubravere. Hunc quidem campum ingredientibus minus lubrica est via : certe paulo rectius atque amplius quam olim potuit Marresius nunc de ea re videmur posse disputare. Nam, quae Diogenes ex *Omnigena historia* et *Memorabilibus* excerpserat, ea Marresius e Diogenis libro rursus excerpsit : sed, dum Favorinum a Diogene disjungere conatur, minime quaesivit quo antea vinculo ambo inter se connexi fuissent, nec satis circumscripsit quae Favorino essent adjudicanda. Maassius quidem, rem aggressus, tanta tamque iniqua in dividendis partibus liberalitate erga Favorinum usus est ut ei tantum non omnia tribueret quae Diogenis liber habet. Cautius et prudentius Wilamowitzius[2] docuit et multo pauciora et multo minus gravia Favorino vindicanda, quippe a quo

[1] Nietzsche, *op. laud.*, p. 648; Maass, *op. laud.*, p. 48.
[2] Wilamowitz, *op. laud.*, p. 143-144.

mutuatus esset Diogenes aliquot miscellaneas historiolas, cum ad alia tum ad accusatores vel inventa philosophorum pertinentes. Ea vero ratione Laertius plerumque videtur esse usus ut, postquam vitam philosophi cujusdam descripserat e doxographis biographisque illis qui inde a Ptolemaeorum aetate non defuerunt, adventicia doctrina opus suum exornaret, subtexendo subtemini ea quae commemoratione digna passim legerat. Certe eorum quae diserte e Favorino excerpta esse tradidit bona pars ejusmodi contaminationis suspicionem injiciunt.

Exempli causa, si uno conspectu consideraveris Laertii locos VIII, 1 et IX, 23 (fr. 15 M.), hoc suspicari licet : cum Laertii auctor Pythagoram primum intellexisse dixisset eundem esse Hesperum ac Luciferum, Favorinus autem Parmenidi placitum illud tribueret, Diogenes, lectis *Memorabilibus,* addidit hic (de Parmenide) : καὶ δοκεῖ πρῶτος..... οἳ δὲ Πυθαγόραν, illic (de Pythagora) : οἳ δέ (id est Favorinus) φασι Παρμενίδην[1]. — Consimilem contaminandi rationem manifestius etiam deprehendas collatis inter se IX, 23 et IX, 29 (fr. 40 M.). Cum enim Favorinus eidem Parmenidi vindicaret inventum quendam syllogismum, quo Zeno Eleates vulgo habebatur primus esse usus, Diogenes, lecta *Omnigena historia,* auctori suo addidit illic (de Parmenide) : καὶ πρῶτος...., ὡς Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, hic (de Zenone) : Φαβωρῖνος δέ φησι Παρμενίδην, quae verba inter τὸν Ἀχιλλέα λόγον ἠρώτησε

[1] Sic enim emendavit Cobet pro ὥς φησι Παρμενίδης.

et καὶ ἄλλους συχνούς ita sunt inserta ut postea addita esse sese clament : quod videre debuit Marresius, qui perversam interpunctionem rectissime mutavit. — Alio loco (VI, 25 = fr. 36 M.), inter multa a Diogene Cynico facete dicta, obiter memorat Laertius unum Aristippo a Favorino tribui, ita ut pateat in excerpta sylloges cujusdam apophthegmatum excerptum Favorini postea fuisse intextum[1]. — Item adversus nomen Eurymedontis, qui Aristotelis accusator ferebatur (V, 5 = fr. 33 M.) et Philisci, quarundam tragoediarum auctoris (VI, 73 = fr. 37 M.), Demophili et Pasiphontis posuit nomina, quae in *Omnigena historia* invenerat. — Favorino usus, auctorem suum nunc redarguit[2], nunc auget vel locupletat[3]. Quae cum ita sint, facilius intellegi potest quomodo imprudens idem bis dixerit[4], mutatis tantum auctoribus et verbis : illic enim *Rempublicam* Platonis Aristoxenus asseruit ferme totam in Protagorae 'Αντιλογικοῖς fuisse scriptam, hic Favorinus totam paene apud Protagoram in 'Αντιλογικοῖς inveniri. Nam rem in *Omnigena historia* repertam inseruit, et minus quidem apto loco, oblitus auctorem eum quem descripserat, Aristoxeno auctore ipsum usum, jam alio loco idem dixisse[5].

[1] Cf. Wilamowitz, *op. laud.*, p. 144.
[2] Velut IX, 34 (fr. 41 M.) : Φαβωρῖνος δὲ..... ἀκήκοεν αὐτοῦ (cf. II, 8 et II, 14).
[3] Velut II, 23 (fr. 3 M.) : ἀλλὰ καὶ εἰς 'Ισθμόν ; III, 19 (fr. 30 M.): ἣν δ'αὐτὸς ὁ θεὶς τὸν νόμον.
[4] Diog. L., III, 37 ; III, 57 (fr. 21 M.).
[5] Cf. Wilamowitz, *op. laud.*, p. 147.

Quae quanquam verisimilia sunt, tamen in laudatis quidem locis conjectura tantum uti licet : si vero alios quosdam inspexerimus locos in quibus Diogenes cum Hesychio (apud Suidam) conferri potest, certius quiddam assequi posse videmur. Nam artissimo vinculo inter se esse connexos Laertium et Hesychium jampridem viderat Nietzscheus, et conspirantem illam rerum atque etiam verborum cognationem inde oriri suspicatus erat quod eosdem ambo fontes adiissent [1]. Tum Maassius communem illum utriusque fontem fuisse Favorinum audacius quam verius contenderat [2]. At Wilamowitzius, cum nihil apud Suidam reperiret quod certo ad Favorinum referendum esset, docuit, praeter pauca ab Hesychio aliunde, velut e Porphyrio, adjecta, ex eodem fonte manavisse plerasque philosophorum vitas quae apud Suidam et Laertium leguntur ; Laertium autem eis quae ex suo auctore (sive plures fuerunt) excerpserat, cum alia tum Favorinum passim admiscuisse [3]. Si enim Suidam (s.v. Ἀναξίμανδρος) et Laertium (II, 1 = fr. 25 M.) contuleris, verba καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, quae apud illum desunt, ab hoc intertexta fuisse patet. Similis contaminatio apparet collatis Suida (s. v. Πλάτων) et Laertio (III, 8 = fr. 29 M.), ubi Favorino haec tantum adjudicanda sunt ἐν τῇ Φειδιάδου οἰκίᾳ, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ

[1] Nietzsche, *Rhein. Mus.*, XXIV, p. 210 sq.
[2] Maass, *op. laud.*, p. 114.
[3] Wilamowitz, *op. laud.*, p. 148 sq.

ἱστορίᾳ. Nam superiora quidem Aeginae, auctoribus quibusdam, natum esse Platonem, non modo in Anonymi *Vita Platonis*[1] leguntur, quod rettulit Marresius[2], sed etiam apud Suidam et Porphyrium[3]. Alium autem Laertii locum, a Wilamowitzio obiter laudatum[4], ita excussit Volkmannus[5] ut appareat Suidam ea quae ex Hesychio deprompsit contraxisse atque in breve coegisse, contra Laertium ea quae apud suum Hesychiique auctorem compilavit, auxisse atque amplificasse. Liceat ipsa Laertii Suidaeque verba describere :

Diog. L., VIII, 51-53.	Suidas, s. v. Ἐμπεδοκλῆς.
Ἐμπεδοκλῆς, ὥς φησιν Ἱππόβοτος, Μέτωνος ἦν υἱὸς τοῦ Ἐμπεδοκλέους, Ἀκραγαντῖνος. (Sequuntur cum alia, tum de avo Empedocle ejusque victoriis Olympicis testimonia). Σάτυρος δὲ ἐν τοῖς βίοις φησὶν ὅτι Ἐμπεδοκλῆς υἱὸς μὲν ἦν Ἐξαινέτου, κατέλιπε δὲ καὶ αὐτὸς υἱὸν Ἐξαίνετον, (sequuntur alia de victoriis Olympicis.) [Ἐγὼ δ'εὗρον ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Φαβωρίνου ὅτι καὶ βοῦν ἔθυσε τοῖς θεωροῖς ὁ Ἐμπεδοκλῆς ἐκ μέλιτος καὶ ἀλφίτων] καὶ ἀδελφὸν ἔσχε Καλλικρατίδην. Τηλαύγης δ' ὁ Πυθαγόρου παῖς, ἐν τῇ πρὸς Φιλόλαον ἐπιστολῇ, φησὶ τὸν Ἐμπεδοκλέα Ἀρχινόμου εἶναι υἱόν.	Ἐμπεδοκλῆς, Μέτωνος, οἱ δὲ Ἀρχινόμου, οἱ δὲ Ξενέτου, καὶ ἀδελφὸν ἔσχε Καλλικρατίδην.

[1] Anon. *Vit. Plat.*, p. 6, 19 ed. Westermann.
[2] Marres, *op. laud.*, ad fr. 29, p. 114.
[3] Cf. Wilamowitz, *op. laud.*, p. 149.
[4] Id., *ibid.*
[5] W. Volkmann, *Quaest. de Diog. Laert.*, cap. II, p. 1 sq.

Unde patet verba καὶ ἀδελφὸν ἔσχε Καλλικρατίδην, quae, quanquam minime superioribus cohaerebant, Favorino adscribebantur [1], nihil ad eum pertinere.

Quae autem diserte a Favorino de Empedocle relata sunt, etsi in nepotem cadere verisimilius est, tamen nescio an ad avum referenda sint. In aliis certe quibusdam locis, ea, quibus Diogenes auctorem suum auget, non omnia ad eum, cujus vitam cum maxime describit, philosophum pertinent, sed, ut hoc atque illud verbum nomenve occasionem ei praebuit, ita adventicia doctrina commentarios exornat. Quod rectissime vidit Volkmannus in Diogene, IX, 50 (fr. 42 M.), de quo subtilius quam verius ante disputaverat Wilamowitzius, vir alioqui acutissimae aciei. Haec sunt verba Diogenis : Διήκουσεν ὁ Πρωταγόρας Δημοκρίτου [ἐκαλεῖτό τε Σοφία, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ] καὶ πρῶτος ἔφη δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος ἀντικειμένους ἀλλήλοις, οἷς καὶ συνηρώτα, πρῶτος τοῦτο πράξας. Cum satis constaret Democrito, non Protagorae inditum fuisse illud cognomen (nam ille quidem Λόγος, non Σοφία dictus est), opinabatur Zellerus [2] id e magistro ad discipulum (Democritus enim praeceptor Protagorae ferebatur), qui frequentissimus est error, a Favorino fuisse translatum. Tum Wilamowitzius, collato Suida (s. v. Πρωταγόρας), ἐπεκλήθη πρῶτος οὗτος σοφιστής, πρῶτος δ'οὗτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους εὗρε καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο, suspicatus est Diogenem, male sedu-

[1] Cf. Marres, *op. laud.*, fr. 17.

[2] Zeller, *Ph. d. Gr.*, I⁴, p. 945, adn. 2. Cf. Volkmann, *op. laud.*, cap. I, p. 6.

lum contaminatorem, falsam Favorini sententiam (ἐκαλεῖτό τε Σοφία) collocasse in loco veri nominis (ἐπεκλήθη σοφιστής), quod communis Hesychii et Diogenis fons haberet, sed Hesychius unus servasset [1]. Rectius autem simul ac simplicius judicavit Volkmannus, qui et Favorinum a crimine erroris et Diogenem ab indiligentiae crimine vindicavit. Docuit enim Diogenem, tametsi de Protagora apud auctorem suum agebatur, Democriti nomine obiter memorato, ei verba apud Favorinum inventa ἐκαλεῖτό τε Σοφία adscripsisse [2]. Ac, quo planius appareat illa contaminandi ratio, alium locum, similiter a Volkmanno excussum, conferre libet. Legitur enim apud Laertium, haud ita multo post, de Diogene Apolloniate [3]: ἦν δὲ τοῖς χρόνοις κατ' Ἀναξαγόραν · [τοῦτόν φησιν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ διὰ μέγαν φθόνον μικροῦ κινδυνεῦσαι Ἀθήνησιν]. Quae cum Zellerus [4] ad Diogenem Apolloniatem pertinere crederet, opinabatur aut eum in crimen impietatis esse Athenis vocatum aut Diagorae loco nomen ejus positum, quem quidem Diodorus ejusmodi crimen incurrisse testatur [5]. Vere autem vidit Volkmannus ad neutram opinionem esse confugiendum : verba enim τοῦτόν φησιν...., quae uncis inclusi, non ad Diogenem Apolloniatem pertinere, sed Anaxagorae, obiter memorati, nomini fuisse ad-

[1] Wilamowitz, *op. laud.*, p. 150 sq.
[2] Volkmann, *op. laud.*, cap. I, p. 6.
[3] Diog. L., IX, 57.
[4] Zeller, *Ph. d. Gr.*, I[4], p. 236, adn. 2.
[5] Diodorus, XIII, 6.

scripta, quem nemo non novit laesae religionis ab Atheniensibus esse accusatum [1]. Mihi vero simili ratione videtur Laertius *Reipublicae* Platonis ea adscripsisse quae supra parum apto loco posita esse dixi [2]; item ea quae in Bionis vita leguntur[3] duobus ex fontibus hoc modo manavisse credo :

Descripta ex auctore Diogenis.	Excerpta e Favorino et adscripta nomini Antigoni.
Ἐμπεσὼν εἰς νόσον..... αὐτόθι γὰρ κατέστρεψε, ...ἀπορίᾳ δὲ καὶ τῶν νοσοκομούντων δεινῶς διετίθετο, ἕως Ἀντίγονος αὐτῷ δύο θεράποντας ἀπέστειλε. ‖ ἀλλὰ καὶ ὣς κατέστρεψε.	‖ καὶ ἠκολούθει γε αὐτῷ ἐν φορείῳ, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ.

Denique aliis locis novam lucem attulit Usenerus, qui, cum *Epicurea* sua procuraret, intellexit Diogenem pleraque eorum quae margini adscripsisset non ipsum intulisse in commentarium, sed librariis describenda tradidisse. « Evenit quod necessarium erat, ut eo ordine qui librariis placeret adscripta margini in commentarium inferrentur, necessaria et utilia cum alienis et otiosis miscerentur, turbae inexplicabiles nascerentur [4]. » Viam ab Usenero monstratam

[1] Volkmann, *op. laud.*, cap. I, p. 6.
[2] Cf. supra, p. 96.
[3] Diog. L., IV, 54 (fr. 31 M.).
[4] Usener, *Epicurea,* p. XXII.

ingressus, Volkmannus docuit in Diogene, VIII, 51-53[1], duo excerpta de Olympicis victoriis, cum artissime inter se cohaererent, foedissime fuisse dilacerata[2]; item quae ex Favorino de Pythagora quodam athleta excerpta essent ineptum in locum fuisse inculcata, certe non ad philosophum esse referenda[3]. Ego vero simili librariorum errore duo illa excerpta in quibus Parmenidis duo inventa feruntur[4] disjuncta fuisse opinor, cum praesertim ea quae nunc media sunt (Καλλίμαχος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ ποίημα) forsitan superioribus verbis (καὶ αὐτὸς δὲ διὰ ποιημάτων φιλοσοφεῖ, IX, 23) adscribenda sint. Item quae nunc leguntur II, 39 (fr. 4 M.) : Φαβωρῖνος δέ φησιν, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων, μὴ εἶναι ἀληθῆ τὸν λόγον τοῦ Πολυκράτου, adscribenda mihi videntur superioribus verbis : συνέγραψε δὲ τὸν λόγον Πολυκράτης ὁ σοφιστής (II, 38), tanquam ineptum in locum a librariis inculcata.

Quem vero usum ex Favorini operibus Diogenes perceperit intellegentes, sane est cur lugeamus quod non integra vicerint saecula[5]. Namque inter opes a Favorino congestas non dubito quin multa a Diogene praetermissa plurimi nobis pretii futura fuerint. De

[1] Cf. supra, p. 98.
[2] Volkmann, *op. laud.*, cap. II, p. 1 sq.
[3] Id., *ibid.*, p. 3 sq.
[4] Diog. L., IX, 23; cf. supra, p. 95 sq.
[5] Deplorandus est etiam octavus *Noctium Atticarum* liber, cujus duobus in capitulis relatos olim fuisse Favorini sermones adhuc servata lemmata (II et XIV) testantur.

ipso autem Favorino, vel per illa lacera fragmenta, qualiacumque adhuc exstant, recte judicare posse videmur. Etenim in talibus collectaneis conficiendis unus multorum fuit. Atque etiam incredibile est quanto ejusmodi operum amore flagraverit illa aetas et quam celebre fuerit illud litterarum genus. Novimus Gellium in *Noctium Atticarum* prooemio plurimos collectaneorum auctores persecutum esse, quibus ipsius opus adjicere licet, quanquam longe aliam viam secutum se jactat; et Aeliani *Varia historia* adhuc fertur, et ab Herode Attico conscripta fuisse rettulit Philostratus ἐγχειρίδια χαίρια τὴν ἀρχαίαν πολυμαθίαν ἐν βραχεῖ ἀπηνθισμένα Suidasque σύγγραμμα πολύμαθες [1]. Neque vero mirum est a rhetoribus cultam et celebratam fuisse ejusmodi doctrinam, utpote quae eorum ingeniis aptissime congrueret. Reputemus enim quam sibi utilitatem Gellius e suis Noctibus percepturum se speraverit. Nam quicquid memoratu dignum legisset audissetve, indistincte ac promiscue adnotasse se professus est et sibi « ad subsidium memoriae quasi quoddam litterarum penus recondisse, ut, quando usus venisset aut rei aut verbi cujusdam....., facile sibi inventu atque depromptu foret [2] ». Quanto majus eloquentiae subsidium talia opera eis rhetoribus ministrabant qui summum artis fastigium credebant sese assecutos, si ex tempore de qualibet re disserere possent ! Quinetiam satis veram illius eloquentiae

[1] Philostratus, *V. S.*, II, 1, 36 ; Suidas, s. v. Ἡρώδης.
[2] Gellius, *N. A.*, *praef.*, 2.

imaginem ea mihi referre videntur. Nam de scribendi juxta ac dicendi arte homines illa aetate adeo demissam abjectamve opinionem concipiebant ut excogitare res atque ad pulchrum ordinem digerere levioris esse momenti arbitrarentur, neque ulla eis esset religio quominus jam ante ab aliis excogitata recoquerent et temere procederent, dummodo exercerent facundiam et variam copiosamque doctrinam ostentarent.

Quibus hominibus, etsi plerisque eorum longe praestitisse nobis visus est, tamen haud iniquius adnumeraverimus Favorinum : nam, quem modo sophisticae arti se dèdisse vidimus, eundem nunc alienos libros in collectanea compilantem deprehendimus. Eum quidem a philosophia haud sane alienum fuisse negari non potest et videmur demonstrasse, neque egregia memoria modo, sed ingenio etiam egregio praeditum. Plurima fuit ei subtilitas, plurimum acumen, plurima in omni re facilitas. Cum a temeritate judicii inprimis aversus esset, quae maxima est virtus, non extemplo sibi assumebat quae vulgo ferebantur, sed, tametsi, vel potius quia Academicus erat, curiosissime, sive cum aliis colloquebatur sive libros compilabat, verum solebat inquirere[1]. Quare haud

[1] Quibus de causis non libet plane adstipulari Wilamowitzio iniquius, mea quidem sententia, judicium de Favorino facienti, quem « cymbalum mundi, sed surdum cymbalum » vocat (Wilamowitz, *op. laud.*, p. 146). Cf. R. Hirzel, *Der Dialog*, II, p. 120, adn. 3, ubi recte improbatur Wilamowitzii judicium, tanquam qui ridiculam, non veram Favorini imaginem depinxerit.

spernenda doctrina redundabant ejus sermones, quibus non modo oblectabantur, sed magnam etiam utilitatem inde percipiebant et juvenes et clari viri qui ejus consuetudine utebantur. Sed, cum ingenium illud undique profunderet atque, ut ita dicam, in diem viveret, nihil admodum confecit quod heredibus, id est posteris, relinqueret. Nam qui in omnibus simul rebus comprehendendis se oblectant, etsi naturalem ingenii dexteritatem exhibent, tamen nihil firma manu retineant necesse est; qui nihil indignum esse putant cui adhibeant ingenium nihil tanti esse credunt quod tota animi vi complectantur. Quare haudquaquam mirum est si ejusmodi vir adversus stoicorum καταληπτικὴν φαντασίαν conscripsit librum et Epicteti respuit disciplinam : etenim inter eos homines nulla exstare poterat concordia. Nam, quemadmodum Socrates perraro moenia Athenarum egressus esse dicitur, ita Epictetus artissimis finibus semper sese continuit, nec quicquam attigit nisi quod ad libertatem et animi tranquillitatem et honestatem adipiscendam pertineret; at, quod semel attigit, id quidem ita vehementer arripuit ut secura mente totam suam vitam eo quasi firmamento fulciret et homo penitus cum philosophia sua commixtus esse videatur. Favorinus autem incertam eam philosophiam secutus est qua regente menti concedebatur undique verum indagandi et, ut ita dicam, circa omnes res volitandi facultas. Quod si in Asia natus esset et inter Graecos perpetuam aetatem egisset, credo illum vix dissimilem futurum fuisse eis rhetoribus qui nihil nisi bene dicendi lau-

dem plaususque captandi peterent. Nunc vero nescio an quia et in Gallia natus et aliquantum temporis Romae versatus erat Graeca illa levitas gravitate quadam temperata fuerit. At ne sic quidem quicquam in eo certum est, quicquam quod ad distinctam normam referas. Neque enim sexus modo ejus ambiguus erat, sed et patria et lingua et studia : Gallus simul et Asiaticus fuit, Graeco juxta ac Latino sermone usus est, rhetoricam artem non minus quam philosophiam coluit. Quapropter, qui tria παράδοξα in vita sua esse jactabat, apud eum plurima incerta et ambigua esse verius dixerimus.

VIDI AC PERLEGI
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona
die XXV mens. Febr. ann. M CM III.
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

TYPIS MANDETUR.
Academiae Parisiensis Rector,
L. LIARD.

ADDENDA ET CORRIGENDA

P. 6, v. 10. — Pro : Περὶ Ἀκαδημαϊκῆς, lege : Περὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς.

P. 27, adn. 3. — Adde : Primum eodem honore, deinde, ob eandem causam, eadem contumelia ab Atheniensibus affectus fuisse fertur etiam Demades orator (Plutarchus, *Praec. ger. reip.*, XXVII, 13).

P. 51, v. 9. — Adde : Quemadmodum declamationem Favorini περὶ γήρως et libellum Ciceronis *De senectute* cognatione quadam inter se esse conjuncta negari non potest, sic in altera ea declamatione quam περὶ ἀναρχίας sive de mediocritate conscriptam fuisse a Favorino suspicamur (quo redigenda videntur fr. 80-83 M. = Stobaeus, *Flor.*, XLIX, 14 et 48; XCIV, 29; XCV, 14), eosdem fontes adiisse eum opinamur unde jam manaverant ejusdem Ciceronis *Tusculanae disputationes*. Namque, in fr. 81 M. *(Flor.*, XLIX, 48), ita Dionysium compellat Favorinus : εἰ μὲν ἀνθρωπίνην (ἡδονὴν) θέλεις, ὦ Διονύσιε, πείνησον ἵνα φάγῃς, δίψησον ἵνα πίῃς. Quae compellatio si cui minus liquere videbitur, primum reputet multum fuisse Ciceronem, de tyrannide disputantem, in historiolis e Dionysii vita petitis (ex. gr., *Tusc.*, V, 57-63). Cf. potissimum fr. 80 = *Flor.*, XLIX, 14, ubi agitur de tyrannis in cubiculum, quasi in carcerem, redactis, cum hoc *Tusculanarum* loco (V, 58 sq.) : « Ita propter injustam dominatus cupiditatem in carcerem quodam modo ipse se incluserat..... Et, cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset ejusque fossae transitum ponticulo ligneo conjunxisset, eum ipsum, cum forem cubiculi clauserat, detorquebat. » Deinde, si cui in mentem venerit notissimi cujusdam loci, paulo infra *(ibid.*, V, 97) positi, eum nihil jam credo esse desideraturum : « Ubi (apud Lacedaemonios) cum tyrannus cenavisset Dionysius, negavit se jure illo nigro, quod cenae caput erat, delectatum. Tum is qui illa coxerat : « Minime mirum : condimenta

enim defuerunt. — Quae tandem? inquit ille. — Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotam, *fames, sitis* : his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur. » Quo igitur exemplo demonstraverat Cicero « jucunditatem esse in desiderio; non in satietate », eo docet Favorinus privatam condicionem tyrannorum condicioni praestare, adeo ut, posita tyrannide, singularem ac vix humanam voluptatem percepturi sint.

At quid sibi volunt illae πεντακισχίλιαι χλαμύδες quae, in eodem fragmento, secundum illa verba commemorantur? Hic vero excitanda est nota epistula in qua Horatius *(Ep.*, I, vi : Nil admirari.....), secundum stoicorum placita, Numicium docet virtutem summum esse bonum, divitias autem nihil ad felicitatem posse conferre. Hic enim, dum irridet superfluas divitias eorum qui ita sunt divites ut ne noverint quidem quantum possideant, hanc historiolam (v. 40 sqq.) de Lucullo narrat (quam, Horatio teste provocato, rettulit etiam Plutarchus in Luculli vita, XXXIX) :

> Chlamydes Lucullus, ut ajunt,
> si posset, centum scaenae praebere rogatus,
> « Qui possum tot? ait; tamen et quaeram et quot habebo
> mittam. » Post paulo scribit sibi *milia quinque*
> esse domi *chlamydum;* partem vel tolleret omnes.
> Exilis domus est ubi non et multa supersunt
> et dominum fallunt et prosunt furibus.

Quanquam ne superfluis quidem illis divitiis satiari dominum censet Favorinus : hoc enim exemplo demonstrat, teste Gellio *(N. A.*, IX, viii), qui declamationi interfuerat, « multis egere qui multa habeat ». Qua de re agitur in proximo etiam fragmento (82 M. = *Flor.*, XCIV, 29). ubi castigatur μεμψιμοιρία eorum qui ditioribus invident, cum contra pauperiores respicere debuerint : τὸν δὲ εὐθυμεῖσθαι θέλοντα χρὴ ἐν... τοῖς ἀγαθοῖς ἀφορᾶν εἰς τοὺς ἐλάττω ἀγαθὰ κεκτημένους. Hic jam excitanda est ejusdem Horatii ea satira *(Sat.*, I, i : Qui fit, Maecenas,...) quam cynicam diatribam sive « Bioneum » quendam « sermonem » haud inepte appellaverim, ubi sub finem (v. 110 sqq.) haec occurrunt :

> quodque aliena capella gerat distentius uber
> tabescat, *neque se majori pauperiorum*
> *turbae comparet*, hunc atque hunc superare laboret.

Quae μεμψιμοιρία hic (v. 108-120 et v. 1-23) stringitur, de eadem amplius, et lepidissime quidem, egit Plutarchus in libello Περὶ εὐθυμίας (cf. apud Favorinum τὸν εὐθυμεῖσθαι θέλοντα), X, p. 471 a b. Hic vero duos peculiares libellos Περὶ εὐθυμίας sive *De tranquillitate animi* et Περὶ φιλοπλουτίας sive *De cupiditate divi-*

tiarum conscripsit, Horatius autem vitia ambo una eademque diatriba insectatus est (qua de re vide R. Heinze, *De Horatio Bionis imitatore,* Bonn, 1889, p. 15-22, qui nonnullos alios scriptores, in similibus rebus versatos, contulit), quod jam antea fecerat Teles apud Stobaeum (*Flor.*, XCVII, 31 = *Teletis reliquiae*, ed. Hense, IV [b], p. 34), Bionem, ut videtur, imitatus, quodque postea fecit Favorinus, eosdem, ut opinor, auctores secutus.

Quibus ex omnibus facile, aut ego fallor, efficitur Favorinum περὶ ἀναρχίας declamantem philosophum egisse.

P. 63, v. 2. — Pro : Περὶ καταληπτικῆς, lege : Περὶ τῆς καταληπτικῆς.

INDEX CAPITUM

Gratianopoli, ex typis ALLIER FRATRUM.